Florilegium Patristicum
tam veteris quam medii aevi auctores complectens

Ediderunt

Bernhardus Geyer
S. Theologiae Doctor,
in Universitate Bonnensi Professor ordinarius

et

Johannes Zellinger
S. Theologiae Doctor,
in Universitate Monacensi Professor ordinarius

Fasciculus XXXII

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXXII

Laborantis Cardinalis Opuscula

Edidit

Dr. Arturus Landgraf
in facultate philosophico-theologica
Bambergensi professor extraordinarius

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXXII

Imprimatur. Bambergae, die 25. Junii 1931. Dr. Senger Vic. in Spir. Gnlis.

Prolegomena.

Laborans Pontormae prope Florentiam natus studiis forte Gilberto Porretano magistro in Gallia peractis itinere per Germaniam facto in Italiam reversus[1] ante annum 1160 Capuae canonicatu fruebatur[2]. Creatus est anno 1173 diaconus cardinalis Sanctae Mariae in Porticu, anno 1180 presbyter cardinalis Sanctae Mariae Transtiberim titulo Calixti, defunctus circa annum 1191[3]. Composuit labore viginti annorum (1162–1182) Compilationem Decretorum, opus, quamvis a Decretis Gratiani dependens, tamen dispositione nova praesertim materiae eminens[4]; praeterea conscripsit quattuor opuscula theologica non minoris momenti, quorum duorum primorum principalium in sua Compilatione Decretorum mentionem facit[5].

Tractatui *De iustitia et iusto*, cum ad instantiam Maionis munere praefecti classis fungentis scriptus sit, tamquam tempus compositionis spatium inter annum 1154 et 1160 assignandum est[6]. Opusculum *De vera libertate*, quippe Hugoni archiepiscopo Panormitano dedicatum, post annum 1144 et ante annum 1161 exaratum esse constat[7].

[1] *Compilatio Decretorum* lib. 4, pars 5, tit. 20, coll. 3: Ad floridum Florentinae patriae mihi natale solum et ad vallis Arnisane, Pontorme nativitatis meae nobile castrum, cui nomen indidit vicinissimus ei pons et fluvius Orma, de Francorum climateper Alamanniam regressum feliciter a scolis habens, a quodam faustae memoriae pio viro, cui sit in celo palatium, decenti gratitudine fui receptus hospitio . . . Cod. C 110 Arch. Basiliae S. Petri in Vaticano fol. 130. Cf. G. B. Siragusa, De iustitia et iusto. Trattato del Cardinale Laborante. (Palermo 1886) VIII nota 2.

[2] Scripsit Capuae munere canonici fungens opus *De iustitia et iusto* Maione praefecto classis (1154—1160) flagitante. Cf. *Compilationem Decretorum* lib. 3 tit. 4, pars 1, c. 22 (Cod. C 110 Archivii Basilicae Sancti Petri in Vaticano fol. 83v): „Verum quando vel ubi penitendi veritas agnoscatur, eius indicat libelli series, cuius est initium: *Memini vir illustris,* quem ego Laborans, nondum Romae cardinalis, sed Capuae canonicus, ad ammiratum Siciliae de iustitia et iusto deque multis aliis eo flagitante contexui."

[3] Cf. Ughelli, Italia Sacra III 100. — G. B. Siragusa, De iustitia IX. — Ph. Jaffé, Regesta Pontificum Romanorum ab condita Ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII² tom. II (Leipzig 1888) 145, 146, 431, 492, 528, 535.

[4] Cf. A. Theiner, Disquisitio critica in Decretorum Compilationem, quam M. Laborans S. R. E. Cardinalis adornavit (Disquisitiones criticae in praecipuas canonum et decretalium collectiones, Romae 1836, p. 399—447; MPL 204, 869—914). [5] Cf. notam 2 et p. 56 nota 3. [6] Cf. notam 2.

[7] P. B. Gams, Series Episcoporum Ecclesiae catholicae. (Ratisbonae 1873) 951, dicit Hugonem electum 1144 et mortuum 1161. Sed notat de hoc K. A. Kehr, Die Urkunden der Normannisch-Sicilischen Könige (Innsbruck 1902) 318: „im März 1144 dagegen amtierte noch Rogerius Feskan, und zwar nicht als Erzbischof, sondern als Erwählter."

G. B. Siragusa tractatum *De iustitia et iusto* iam quoad aliqua specimina in opere suo *Il Regno di Guglielmo I in Sicilia*[1] publicatum anno 1886 edidit[2]. Cum tamen opus hoc in plerisque bibliothecis desideretur nec mendis etiam sensum turbantibus careat, nova editio necessaria videbatur. Siglo *S* differentias nonnullas textus illius iam editi a textu manuscripto notabimus. Cetera tria opuscula nunc primo prelo traduntur.

Opera Cardinalis Laborantis continentur in Codice manuscripto C 110 Archivii Capituli Basilicae S. Petri in Vaticano (P). Descriptio codicis: membranaceus, II + 260 folia (ultimum folium numeratum est 256); 400 × 260 mm, e secunda medietate saeculi XII. In margine inferiori folii 1 manu alicuius posterioris scriptum invenitur: „Biblioth. Sacros. Vaticanae Basilicae Principis Apost. — Laborantis Cardinalis compilatio Decretorum et alia.“ In dextera parte marginis superioris rubrica quaedam incipit verbis: „Laborantis natura fuit humanitas.“ Codex pulcherrimis est exornatus miniaturis.

1) Fol. 1–243v: Sex libri Compilationis Decretorum. Initium (fol. 1): „Preludium Voluminis. — A. Orientale clima, plagam siquidem peramenę regionis Eden.“ — Finis (fol. 243v): „Non in hoc vel humano, sed in libro divino sunt omnia. Divina siquidem mens liber est et ars et omnium clausula rationum.“ Sequitur rubrica: „Opus Explicit Laborantis Ad Petrum Presulem Pampilone.“ — „Annus hoc opus edidit integer ab illius inceptione vicesimus, Christi vero millesimus CLXXXII et ultimus dies aprilis.“

Notantur Decreta Alexandri III „in Lateranensi generali Concilio“ in margine foliorum 21v, 31, 33v, 36, 38, 47, 50, 59v, 62v, 64, 64v, 70v, 80v, 91, 108, 110v, 111, 111v, 131, 134, 137v, 155, 198, 213, 214.

2) Fol. 244–251v quattuor partes operis De iustitia et iusto. Initium prologi (fol. 244): „Laborantis ad Maionem magnum Sicilie admiratum. — Memini vir illustris, sapientiae luce virtutumque nitore prefulgens.“ — Finis prologi (fol. 244): „sublimioris est puriore mentis oculo perscrutandum. (Deinde rubro colore) Prologus explicit et tituli prime partis incipiunt.“

Initium primae partis (fol. 244): „De iustitia et iusto. — I. Divina substantia bonitas est, quae quidem in idiomate greci sermonis usya dicitur.“ — Finis quartae partis (fol. 251v): „nulla vel possibili vicissitudinis obumbratione mutari. (Deinde rubro colore) Explicit Ad Maionem.“

Dividitur pars 1 in 37, pars 2 in 10, pars 3 in 9, pars 4 in 17 titulos.

---

[1] Parte Seconda (Palermo 1886) LIII—LX.

[2] De iustitia et iusto Trattato del Cardinale Laborante ora per la prima volta stampato (Palermo 1886). Per benevolentiam Eminentissimi Cardinalis Ehrle exemplar operis huius rarissimi obtinere potui.

3) Fol. 251v–255va tres partes operis De vera libertate. Initium (fol. 251v): „Laborantis ad Hugonem Panormitanum Archiepiscopum. [Sequitur immediate index titulorum. Deinde] De vera libertate. — Supereminentis ac verae simulque felicissimae libertatis exculpere notionem.“ — Finis (fol. 255v): „ut exinde vivamus interminabiliter liberi. (Deinde rubro colore) Explicit ad Hugonem.“

4) Fol. 255va–255vb tractatus contra Sabellianos.

Initium (fol. 255va): „Secte Sabellianorum. — Laborans Dei gratia presbyter Cardinalis Sancte Marie Transtiberim tituli Calixti Hermanno theologice veritatis amico sincere karitatis affectum. — De Sabellianis, quorum super numerum multitudo.“ — Finis (fol. 255vb): „ad multorum perniciem in mirabilibus super se. (Deinde rubro colore) Explicit.“

5) Fol. 255vb–256b brevis tractatus de relativa praedicatione personae in divinis.

Initium (fol. 255vb): „Persone predicatio relativa est. — Laborans Dei gratia presbyter Cardinalis Sancte Marie Transtiberim tituli Calixti Rispaldo theologici sinus alumno salutes et quod sequitur. — Eorum, que de Deo predicantur, aliud est substantia ut divinitas.“ — Finis (fol. 256b): „Nec tamen nomina sanctorum quis fatebitur esse sanctos, neque Dei nomen fatebitur esse Deum (Deinde rubro colore). Explicit.“

6) Fol. 256b–256va Cardinalis Viviani tractatus incompletus De appellatione.

Initium (fol. 256b): „In Christo plurimum diligendo patri et semper reverendo Magistro Laboranti sacrosancte Romane aecclesiae presbytero Cardinali Vivianus tituli Sancti Stephani in Celio Monte qualiscumque presbyter in Domino Ihesu presentis prosperitatis et perpetue beatitudinis salutem. — Diu distulimus ad inquisita respondere. Verumtamen nunc sub breviloquio satisfacere parati sumus premittentes quedam, quae valde sunt necessaria circa tractatum appellationis, videlicet videre, quid sit appellare et quando sit appellandum, et quibus liceat appellare et quibus non, et quomodo sit appellandum, et intra que tempora appellatio sit exequenda, et quando appellare non est necesse.“ — Tractatus solum usque ad prohibitionem appellationis procedit et in fine folii 256va abrumpitur verbis: „ut nullatenus“.

Folio 2 praeliminari huius codicis adnexum est folium iudicio cl. Angeli Mercati conscriptum ab Augustino Theiner exhibens transscriptionem initii tractatus *Secte Sabellianorum*. Saepius etiam margini codicis manus dicti Theiner referentias ad Decreta Gratiani apposuit. Aliae notae scripturae modernae manui cuidam anteriori debentur.

Cod. Vat. lat. 6457 (cartaceus, folia II + 56, 205 × 135 mm, saeculi 16/17) continet partes operum Laborantis excerptas e Codice C. 110 Basilicae Vaticanae, quae non progrediuntur ultra tit. 17 quartae partis *De iustitia et iusto*.

Fol. 1 enumerat opera Laborantis contenta in manuscripto Basilicae Vaticanae.

Initium: „Laborans creatus Diac. Cardinalis ab Alex° III. anno [*lacuna*] et ab eodem postmodum presbyter titulo S. Mariae Transtiberim collegit uolumen Decretorum, quod direxit ad Petrum Praesulem Pampilone et distinxit sex libris, in quorum fine sic legitur: *opus explicit Laborantis ad Petrum Praesulem Pampilone* et paulo post: *Annus hoc opus edidit integer ab illius inceptione uigesimus, Christi uero millesimus CLXXXII et ultimus dies Aprilis.*

Unde apparet hoc opus ceptum fuisse anno 1162 ante Concilium Lateranense ab eodem Alexandro 3° celebratum anno [*lacuna*], quare ipse postea addidit in margine huius uoluminis aliqua capita illius Concilii. Multa habentur in hac Collectione, que sunt etiam in Gratiano et multa alia apud alios Collectores."

Character scripturae codicis C 110 (P) saeculo duodecimo omnino correspondet. Saepissime et ipsum *ae* scribitur vel littera ę pro eo supponitur. Aliquoties invenitur etiam *ae* ubi exigitur *e*, e. c. *aecclesia.* In editione paranda orthographia hodierna latinitatis utor. Sine adnotatione mutavi tantum verba ea, quae usu saeculo duodecimo et decimo tertio communi a codice exhibentur, e. g. *contempnit, quicquam, fantasia, nichil, dialeticus, ydolatria, ymago, rethor, brachium, hii, hee, yeenna, omousion, perhennis, hodium, hotium, multivariam, multiphariam, usya, optentus, optineo, Boetius, Jeronimus, Aristotiles, Jhesus*[1].

Moneatur de singulari implicatione stili Laborantis, quae lectori difficultates quamplurimas enodandas praebebit. Quamobrem editor maximam diligentiam in ordinanda interpunctione adhibuit.

De magistro Laborante conferantur praeter opera iam citata: J. F. von Schulte, Die Geschichte der Quellen und Literatur des kanonischen Rechts von Gratian bis auf die Gegenwart, I (Stuttgart 1875) 148f.; Cancellieri, De secretariis veteris Basilicae Vaticanae II (Romae 1786) 920; Joseph M. Suarès, De magistro Laborante cardinali florentino (Romae 1670); F. A. Zaccaria, Dissertatio de inedita canonum collectione, quam XII saec. cardinalis Laborans composuit (in A. Gallandi, De vetustis canonum collectionibus dissertationum sylloge, II (Moguntii 1790) 766–800; F. Gillmann, Gibt es einen

[1] De *Jhesus* glossa quaedam Commentario Petri Comestoris in evangelium Lucae addita perpulchre haec habet: „Omnes enim scriptores fere peccant scribendo hoc nomen Jhesus, quia primo debet scribi iota, secundo eta, cuius figura duas lineas habet in longum, unam ex transverso per medium. Quia talem solemus depingere aspirationis in capitalibus litteris, inde inolevit, ut pro figura scribatur." Cod. Paris. Nat. lat. 15269 fol. 54. Cf. L. Traube, Nomina sacra. Versuch einer Geschichte der christlichen Kürzung. Quellen und Untersuchungen zur lat. Philologie des Mittelalters. II. Bd. München 1907, S. 149—164.

Dekretalisten Laborans? (Archiv für katholisches Kirchenrecht, Mainz 1924, 275–277); F. Ehrle, S. Domenico, le origini del primo studio generale del suo ordine a Parigi e la Somma teologica del primo maestro, Rolando da Cremona (Estratto dalla Miscellanea Dominicana in memoriam VII anni saecularis ab obitu S. Patris Dominici [1221–1921] [Roma 1923] 16 nota 1); J. de Ghellinck, Le mouvement théologique du XIIe siècle (Paris 1914) 124, 341; Dictionnaire de théologie catholique VIII (Paris 1925) 2388; Enrico Besta, Legislazione e scienza giuridica dalla caduta dell' impero romano al secolo decimosesto (Pasquale Del Giudice, Storia del diritto italiano, Volume I Parte 2 Fonti, Milano 1925) 818[1].

Superest, ut gratias referam eis, qui mihi in praeparanda hac editione opes praestiterunt, praeprimis Eminentissimo Cardinali Ehrle, magistro meo; deinde etiam Reverendissimis Augusto Pelzer[2], Gramatica, Johanni Mercati, P. F. Pelster S. J.; necnon Universitatis Bonnensis professoribus F. Heyer et B. Geyer, editori huius collectionis.

---

[1] Hunc locum, quo commemoratur editio princeps a Siragusa facta (cf. pag. 2 not. 2), mihi indicavit Josef Juncker, in Universitate Bonnensi iura docens.

[2] A. Pelzer saepius mihi communicavit collationes cum ipso manuscripto vel etiam cum libris typis editis.

Bambergae, die 24 Junii 1932.

DE IUSTITIA ET IUSTO.

Laborantis ad Maionem[1] magnum Siciliae admiratum[2].

Memini, vir illustris, sapientiae luce virtutumque nitore praefulgens, ammiratorum praestantissime, Maio, quia vestri dudum fuerit tanti dignatio culminis infimam lactentis humilitatem infantiae de iusti et iustitiae rationibus et utrumque varietate dicendi pervigili consuetae mansuetudinis diligentia percontari. Quoniam igitur illud omne, quod optabiii fine concluditur, praevenit caelestis gratiae munus, subsequitur et annectit extremis, inprimis est universorum opifici, cuius assit, efflagito, gratia, supplicandum, ut sufficientiam, quam respondere paranti, immo, nisi quia cogitis, praesumenti, nescia subtrahit et imbecilla conditio, cunctipotens Trinitatis una divinitas stili compendio largiatur. Erit ergo, sed brevi, de quaesitis ac de ultro pollicitis non a maiorum evagando tramitibus speculandum. Verum, ut absolutius speculatio ducatur ad calcem, altius inchoandum est, ut ab ipsa videlicet bonitate dicendi sumatur exordium. Quid ergo, cuiusve sit bonitas, quorumve dicatur et quare nec vero sit, quaeve sit alietas bonitatis ac boni, quid e regione malitia, cuiusve dicatur et unde, quid, si natura permitteret, esset aut cuius, sublimioris est puriore mentis oculo perscrutandum.

Prologus explicit et tituli primae partis incipiunt.

---

[1] Cf. G. B. Siragusa, Il regno di Guglielmo I. I 28, 137.
[2] De titulo magni admirati cf. Du Cange (ed. L. Favre 1883) s. v. Amir, p. 226^{b}.

De iustitia et iusto.

I. Divina substantia bonitas est, quae quidem in idiomate graeci sermonis usia dicitur, secundum vero latinos substantia nominatur et deitas. Rursus autem potestas, gloria, virtus, essentia, forma, genus,

---

10 deputationi *P*

iustitia, fortitudo, sapientia, pietas, divinitas atque dealitas aliaque praeter numerum, quibus haec una multivocatur. Hanc naturam summi boni christiana religio confitetur et de loco veritatis unicam. Solitarie namque bonus Deus, Deus autem unus est. Est igitur et bonus unus et una bonitas. Nam, si plures, boni quoque plures ac dii, quemadmodum homines, quibus est pluralitas in natura. Huic tamen assertioni videtur illud Mosaicum refragari: *quae fecerat Deus, erant cuncta bona*[1]. Qui namque solus et cuncta? Sed utrique sententiae dissonantiae resolvendo querelam media veritas amicatur. Solus utique singulari atque individua suae natura substantiae, cuncta vero prompta nec insuetae denominatione transumptionis. Sicut enim dicitur hominis opus humanum, quoniam ab homine factum, cuius quidem et non operis humanitas est natura, | sic ab universitatis opifice condita bona 244 v
denominantur, quoniam quidem ab illo fluxerunt, cuius, non quorum insita propriaque natura sit bonitas. Miles quoque dicitur clipei consortio pictus et, quae deformis est mulier, indumentorum pulchritudine speciosa. In hunc modum creberrime fit specie, non genere, dictionum contradictiva relisio.

II. Raptatur fluctibus animus et continuo sciscitatur, quomodo cuncta bona, cum et angelos apostasiae fecerit Deus, qui tamen numquam boni fuisse videntur. Exprimit namque veritas luciferum *ab initio fuisse mendacem*[2]. *Alienati* quoque *sunt peccatores a vulva, erraverunt a ventre* et *locuti sunt falsa*[3]. Quomodo ergo boni, qui veritatis expertes? qui gratiae praedestinationis ignoti? qui non iuxta propositum sancti? An, quia passibus operum aut motibus caritatis in viis Domini sunt progressi? Non enim, ut videtur, qui finaliter operantur iniquitatem, in viis eius ambulaverunt. Sed *nec potest arbor mala facere fructus bonos*[4]. An, quia civitatis viam aliis indicaverunt? Indices viarum nec viatores lapidea miliaria sunt. *Aes sonans, cymbalum tinniens*[5], sepes ac spinae, per quas veluti missa manu de vite uva colligitur. Lapidei canales absque germine, per quos ad fructificantes areolas aqua non impura traducitur. Formidolosum talibus illud: *quare tu enarras iustitias meas*[6]. An, quod orationibus invigilarunt? Sua fit impiis oratio in peccatum, cum in Christi sinum eius convertatur oratio.

III. Videbitur esse non verum malam arborem bene fructificare non posse, quasi constituatur opera misericordiae non esse bona, quae mali quoque fecisse monstrantur, dum egenis per humanitatis officia sunt miserti. Cui contra sufficiat: *procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae*[7]. Quod quoniam istis nequaquam certe licebit, iure colligitur eos fructum gratitudinis non tulisse. Quid ergo? Subtrahent se reprobi

[1] Gen. 1, 31. [2] Joh. 8, 44. [3] Psalm. 57, 4. [4] Matth. 7, 18. [5] 1. Cor. 13, 1. [6] Psalm. 49, 16. [7] Joh. 5, 29.

viae morum et cultui deitatis? Nullus eis id quidem pie suaserit. Gravius enim propterea punirentur. Quocirca divinitus eis ex certitudinis incerto consulitur, quoniam de certitudine certi tabescendo nulli proficerent electorum, quorum sunt usui destinati, quibus, non sibi moriuntur et vivunt, cum sint illis usui vel examini vel cautelae. Nec vero contingeret eos deciduos olerum flores, quibus inhiant, adipisci gazas, scilicet favorabiles auras, tribunalium fasces, beneficia siderum, munificentias elementorum, hominum obsequelas et animalium adiumenta. Haec etenim ipsis in usum velut operum merito dignis ab ordine divinae misericordiae gratis amministrantur. Verum in formidandi iudicii futuro discrimine non sunt nisi furiis stipendiandi poenalibus.

IV. Instabit forte molestior perscrutator obiciens opera pietatis universaliter esse bona. A malis tamen fieri bonum non omnimodis infitiamur, sed ad sententiam veritatis, qua fatuae arbori non posse congruere fructus bonus planissime definitur. Ad distributionis ergo suffragia recurramus, ne facies punica boni nos de multifaria sui mente decipiat. Nam veritatem habet et fraudem. Multifarie quippe dicitur. Siquidem essentiae suae genere bonum dicitur, ut creator; et tropo metonymiae, quoniam causa boni bona quoque dicitur, quia boni forma sit bonitas. Ratione principii creatura. Delectatione vel usu poesis, equus et aurum. Peritia quidem artium laudabilium titulorum dialecticus et orator, citharoedus etiam et auriga. Vel cuiuslibet improbabilis actus, ut mendax et latro, quae tamen nulla est, cum sit malignantium, bonitas. Virtute, quod infra planius exsequemur. Hoc praecepti vel ammonitionis est, qualis est vita piorum, quoniam ex officio fit et fine. Imagine, virtualis hoc vita novit hypocritarum. Est et aliter inveniri, sed, ne quid, ut dicitur, nimis.

V. Non itaque praepropero sententiae cursu imaginarium bonum laeva possideat, cum sit vulgari iudicio sensualis opinionis acquiescendum, quandoquidem ambigua sunt humanitatis affectu interpretanda benignius, ut nec malus iudicetur, quem commendat vitae moralitas, nec improbus, quem mediorum suspectum facit dubietas, nec vero damnandus, quem facinorum multiplex et consueta diffamat iniquitas, potiusque dicendum: stabit autem, quia non est ante finem de quocumque praesentariae luci superstite desperandum. Unde et pro quocumque mortalium divina miseratio non irreligiose deposcitur. Salutis autem est gloriae deputandus, quemcumque perfundi cernimus unda baptismatis, quamquam nostris sensibus interdum sententia divina praeiudicet, dum, quae sequimur, signis aliquando non concordet eventus. Quamvis enim omnibus omne debitum sacramenta dimittant, in electis

---

17 punica] tunica *P* 25 infra] *in margine pro* insito *deleto in textu P* infrascripta *S*

tamen efficiunt, quod figurant. Communia sunt omnibus sacramenta, sed non communis est gratia[1]. At vero nec asseverandum est bonum, quod consuevit universitas detestari, licet defendi valeat, ullatenus esse bonum. Insistendum est viae communi quidem et tritae nec deviandum ab usu loquendi maiorum, in quo virtus est et norma loquendi. Non enim simpliciter, etsi coniunctim bonum. Simpliciter bonum dicitur, quod essentiae vel virtutis est et quod speciem virtutis obtendit. Amplius et usu bonum secundum quid extra. Quapropter inter naturam et usum dividendum est.

VI. Usus enim aliquotiens est cum natura, ut: *Israel, Deus tuus Deus unus est*[2]. Aliquotiens ultra, ut: *ego dixi, dii estis*[3]. Aliquotiens citra, ut: *ad te, Domine, clamabo, Deus meus*[4]. Aliquotiens contra, ut: *Deus Accaron vel Jezabelis*. Ultra naturam itaque Moyses suo usu cuncta bona proposuit, quia naturarum causis et principio bona a bono sunt et ad ipsum tendunt. Ait: ‚erant', quia forte nihil adhuc contagionis irrepserat. Alio autem et expetibili magis usu post substantiale bonum angelicaeque naturae homines tantum eorumque merita, siquidem specie virtutis effulgeant, dicuntur bona simpliciter. Sed merita quasi remunerabilia, homines quasi remunerandi. Meritis namque debetur, quod emeritis est paratum. Contractius autem et expetibilius id dicuntur, si virtutis ipsa veritate redoleant. Huius ultimi consequentia modi veracissime dicitur arbor mala non posse producere fructus caelesti convivio gratos, vitae munere dignos et coronae sibi praemia conferentes. Hoc autem inde, quoniam ante cenam infatuantur, quippe non in eo fine, qui perseverantiam nescit, sale sapientiae condiuntur, ut idonei possint grata sinceritate servari. Ad nihil est, quod ante fuit, si non reperit finis in lampadibus oleum. Ad nihil est pristinum condimentum,

---

[1] Cf. de hac sententia etiam infra p. 33 sq. Agitur hic de doctrina quadam scholae Gilberti Porretani propria. Cf. Ottonis Frisingensis episcopi *Gesta Friderici I imperatoris*. Lib. 1 c. 52 (Monumenta Germaniae historica. Scriptores XX [Hannover 1868] 379. Script. rer. Germ. Ed. G. Waitz, p. 60). — *Historia Pontificalis* X (Monumenta Germaniae Historica. Scriptores XX [Hannover 1868] 524). — B. Geyer, *Die Sententiae Divinitatis, ein Sentenzenbuch der Gilbertschen Schule* (Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters. Band VII Heft 2—3) (Münster 1909) 41, 122*. — *Commentarius in epistolas Pauli* Cod. Paris. Nat. lat. 686 (fol. 60v): „Quod solvant, qui dampnandis peccata in baptismo remitti dicunt." — Conferantur etiam *Quaestiones* Cod. Brit. Mus. Royal 9 E XII (fol. 93v); Simonis Tornacensis *Summa* (Cod. Paris. Nat. lat. 14886 fol. 55), Radulphi Ardentis *Speculum Universale* (Cod. Paris. Mazarin. lat. 709 fol. 131v); Odonis Suessionensis *Quaestiones* (Cod. Brit. Mus. Harley. 1726 fol. 107); anonymum *Compendium theologicum* Cod. Laud. Misc. 477 (fol. 63). Bibliothecae Bodleianae Oxfordii; Magistri Udonis *Summa* (Cod. Bamberg. Patr. 127 fol. 64v). Consulatur tandem A. Landgraf, *Untersuchungen zu den Eigenlehren Gilberts de la Porrée* (Zeitschrift für katholische Theologie 54 [Innsbruck 1930] 192, 202 sq.).

[2] Deut. 6, 4. [3] Psalm. 81, 6. [4] Psalm. 27, 1.

si finis invenit cor insulsum. Quidquid ante contigerit, in fine sunt fructus bonae habitudinis saliendi et amaritudinis pro commissis illiniendi suco, ne corruptorum pestilentia | vitientur. Alioquin ex aliorum contubernali contagio fiunt protinus verminosi. Tandem, etsi tarde, immo, quia numquam est sera confessio, tempestive quidem et suo tempore digne per affectum sanctitatis fructificavit spes omnium vel in fine redeuntium felicissimus ille Domino concrucifixus latro, quem, etsi nec poena nec causa poenae, tamen et causae voluntas facit connumerari martyribus. Fructus autem amaritudine paenitendi in fine et fide perfudit. Desipuerat, sed resipuit et in ultimo sapuit. Iudae vero fructus primum visus est sapidus, subinde fuit insipidus, tandem marcore sceleris putridus.

VII. Evidens est et perspicue verum conversatione malum posse fieri conversione bonum, si tamen ad gloriam sit aeternitatis electione praescitus et sic edere fructus idoneos; alioquin impossibile confitendum. Eius vero, quem repudiavit electio, fit in oppositum a conversione pietatis eversio. In eiusmodi versio, non conversio, quemadmodum fassio, non confessio, reperitur. Est partiliter bonus, ideoque generaliter malus.

VIII. Iuxta modum verae virtutis in bono opus, operator et operandi voluntas bona dicuntur et Deo sunt. Quae autem his eadem videntur et non sunt, Dei sunt non erranti iudicio quodammodo minus bona, qui non iuxta visionem iudicat oculorum nec ex aurium suggestibus arguit, nullatenus ad diffinitivum terminum sibimet opinionem fidemve signa sequendo constituit. Novit suos, triticum novit et zizania. Novit opera verae virtutis et virtutis et quasi. Quasi namque virtus est sub praetextu pietatis ficta simulataque religio. Virtus autem, cui vel umquam ratio virtutis insideat. Atque vera virtus finali vigilantia limitatur. Potentissima pars rei finis est. Ad laudem namque vel contra, similiter et ad praemium vel ad poenam, item et ad iudicium vel intellectum finem sequitur, quod finitur. Is est calcaneus serpentinis observatus insidiis. Ibi pons, ibi porta est, ibi limes ultimus in agone. Ibi casus, interitus, fortitudo, triumphus. In fine radicata cognoscitur caritas et veritas paenitendi. In fine virtus omnis suo nomini dedicatur. Eam vero, quam finis ignorat, dedignatur theologus virtutum vocabulo decorare. Nam et dialecticus momentorum et horarias, tamen genere qualitates, qualitates nominare contemnit et tantummodo non labiles admittit in huius vocabuli dictionem. Quisquis ergo veste nuptiali non fuerit in articulo metae finalis indutus et caritatis inconsutili tunica circumtectus, adolor erit omnium reus et regi nullis virtutum agnitus intersignis, quoniam hac dehabita fit omnis virtus inanis, sterilis omnis arbor, formae decor informis et innominabile bonum; verumtamen bonum, quo neglecto supplicii cumulus augeretur, non quo facto

refrigerium conferatur. Tota enim causa fiduciae tolletur ab eo, quem in die calamitatis et irae percellet horrendum et peremptorium illud numquam, cuius ambitus in conscriptis nihil in tempore vel momentanei concedit articuli, sed generaliter universimque temporis minutias circumcidit. *Numquam*, inquiet, *novi vos*[1]. Talium itaque fructus electorum coetui, non illis est bonus, nisi quod eis est, ut praestruximus, evitatio maioritatis in poena. Quod si bonus illis esse defenditur, quod eisdem temporaliter confert, nihil prohibet, quin iumentis associentur et avibus, quorum labor et cantus cultum ipsis diligentem et exquisitum procurium, praesepia quoque promeretur et casulas. Esto quidem; conscriptis autem et extra, quorum et non sui, velut apes et oves, intuitu dicantur et ipsi boni. Bonus etiam sit eiusmodi fructus, quia vellus est ovis, licet in reprobis lupum contegat et venustet aggerem sepulturae. Sit itaque bonus ac minus impiis hic; iustis autem et alibi quoque bonus. Ad liquidum ergo patet bonum esse miserationis opus omne, non omni, dico autem ad supernae gloriae visionem.

IX. Angeli rursus apostatici ratione formarum et causae vel merito caritatis, antequam vitio scismatis fluitarent, boni fuerunt, si tamen est dicenda momentanea bonitas et caritas ipsa fenalis; electionis vero praescientia numquam; alioquin in filiorum beato collegio perstitissent. Fuerunt igitur aliquando boni, qui numquam. Nam et quamplures eucharistiam manducando non manducarunt, ambulantes in lege non ambularunt. Fueruntque piaculis excantantibus expiati, crudelitate superstite misericordes, sine veritate veraces, sine iustitia iusti. Consequens igitur est, ut et absque salute sint salvi, cum et sint numquam inibi scripti de libro viventium abradendi.

X. Quoniam autem damnandi fructus est pravus, glorificandi vero est, quod ex eiusdem rationis sumitur loco, non fatuus, aestimabitur electus nulla umquam detestanda committere. Sed detestanda plerumque committit, quoniam quae prohibentur et puniuntur, non tamen ei consecutione gehennae sunt mala, quemadmodum nec reprobo, quae vere sunt bona, quoniam, quae iubentur et prosunt, sunt beatitudinis fine bona. Ac sic adversantiae divisa maceria, quod suum est, insocialiter, quod autem medium, pariter uterque agunt. Suum huic vel illi est, quod in ultimo spiritu perseverat; neutri vero suum, quod citra finis articulum inanescit. Procedent igitur in vitam, qui stabilia bona fecerunt; in iudicium vero, qui mala non occidua perpetrarunt. Alia namque bona divina iustitia vilipendit et innominata relinquit; mala vero pietas oblivioni sepelienda committit, ut nec ista deputentur ad poenam nec illa reserventur ad poenam.

30 puniunt *PS*

[1] Matth. 7, 23.

XI. Dicet autem aliquis: Decipitur a verbo veritatis ecclesia; ipsa quoque nos ludificat et mentitur. Habet enim ex regula salvatoris et firmissime tenet, quod, quicumque credit et baptizatur, perveniet ad salutem.[1] Et propterea, quemcumque cernit sub titulo fidei charactere baptismatis insigniri, quamvis in multis, ut in Simone mago[2], secus acciderit, salvandum fore denuntiat.

Cui dicendum, quia, cum sit baptismus intinctio sitque peccati dimissio, posteriorem praecipue modum veritas intellexit. Sic quoque modaliter, quod sacri tenor assuevit oraculi, dicitur aeternitatis habere vitam, quicumque carnem Christi manducat. Haud dubium tamen nonnullos ad iudicium manducasse, quos iam lacus mortis absorbuit. Sunt itaque sapientiae paradoxa rimanda, nec, quid dicant, magis autem, quid dicendo non dicant, summopere vestigandum. Non dicunt, quod dicunt. Nutu non nota loquuntur. Et quidem, ut veritatis dignitas digne celetur indignis. Unde sub velamine falsi plerumque fit sententia veri, quamquam non omni orationis opifici, quia dialectico minus
5 v vera, qui nuditatis privilegium | nactus rationem veritatis non s u b, sed in voce constituens illius faciem nullis velamentis inumbrat. Non autem omnem loquor, sed, quae locutionibus insidet, veritatem. Est namque dialectici quidem enuntiatio nuda satis et manifesta, complexio tamen involuta nimis est et obscura, rhetori autem vera, penes quem saepe causam celat effectus et concretio mathesi palliatur. Sub falsitate latitat verum, sub veritate falsum, cum interdum non a praedicato ratio veritatis incipiat, sed a subiecto magis emergat, quia penes ipsum constituitur ratio causae, de qua veritas exoritur praedicati. Studet in arte verborum et invigilat verbis artis. Schematibus gaudet, species meditatur umbratiles et, quidquid ad persuasibilem in dicendo venustatem pertinet, consectatur. Dialecticus vero minime, nisi quia conformatione sophistica, cum praecepta stilo commendat, periodis obscuris involvitur, aenigmatibus amicitur, orationis utitur artificiosa versutia, ut sit verbi gratia de specie praedicari genus ipsumque proferri vel secundam esse substantiam. Idem est et in ceteris artigraphis inveniri.

XII. Autumo non rude videri, quod saepenumero arte verborum et verbis utamur artis, neutris aliquando et aliquando studeamus alterutris. Qua de re fit littera graviditate fecunda et gravitate facunda. Siquidem citra rem subsidet intellectus et citra intellectum remanet sermo. Ulterior intellectu res est et intellectus sermone profundior. Plus etenim est quam dicatur et plus intelligitur quam dictio possit et aliter et aliquid non dicendum. Est quippe mens lingua liberior utiturque sua sorte licentius nec ullus implere sermo potest suae mentis exemplar. Titulus quippe voluntatis est vultus et imago mentis est verbum. Unde

---

1 Marc. 16, 16. 2 Act. 8.

vera Trinitas potest simul aliquatenus mente sentiri, sed non potest simul ore proferri. Cum enim sit inseparabilis, unde et inseparabiliter operatur, numquam intelligeretur esse Trinitas, si semper inseparabiliter diceretur.

XIII. Non autem indignetur Aristotelicae secta peritiae, si quae perihermeniis non multum forsitan alienae propositiones, quod equidem innuimus, sint modales. Solos enim quattuor modos Aristotelis ibi principalis vestigat intentio. His tamen et reliquos, ut ex eo conicitur, comprehendit, sive sint rei, sive dictionis et taciti.

XIV. Manifestum igitur ex praedictis est a plenitudine veritatis, quae nec fallere sicuti nec falli novit, ecclesiam minime decipi neque ipsam in praefata denuntiatione mentiri, quamquam non sit, esse quod asserit. Nam apud theologos nec, si non est, mentitur nec, si mentitur, non est.

XV. Hic dicendum, quia mendacium aliud est inconsequentiae grammaticorum, quod ex evitandis irregularibus oritur; aliud rei, quod vel ex defectu debiti vel ex abundantia indebiti vel ex indispositione provenit debitorum; aliud opinionis et vel accidentiae dialecticorum est vel in tropis attenditur oratorum. Rursus autem est mendacium secundum inhaerentiae rationem et vel philosophis et his in puritate vocis vel moralibus ac theologicis in vocis eversione commune. Est et hoc nuperrime positum multimembre, quod ad praesens subdividere propositi festina brevitas intermittit. Hoc fit aliquem vere pernicioseque mentiri, quia sic ab eo contra mentem obviatur et itur et, quod lingua ponitur, mente deletur; ut: *scimus, quia verax es*[1]. Ubi namque duplicitas est vel ponendi, quod demitur, vel demendi, quod ponitur, ibi mendacium. Longe igitur abhorrebat a vero, qui taliter insultabat: ‚triumpho, quia vera dicendo decipio'. At vero, cum dicit fidelis, quia baptizatus iste salvabitur, etsi contrarium vero pronuntiet, non tamen est reatui mentientis obnoxius, quia veritatis, quam spondet, amator. Non est sua dictio iuramenti, sed pietatis ac voti simulque opinionis, quam suggerit formae baptismalis abusio. Quasi: sic affecto, sic opinor, credo, propter quod loquor, ad hoc potius coniectura compellor. Non est huiusmodi cor duplex, quare nec mendax est dicendus nec mentiens, quia, licet utcumque sit errans, verumtamen non temerarius, qui hoc non impie credit et rationabiliter opinatur. Fallitur utique, sed non fallit, nec a verbo, sed opinione sua in verbo fallitur veritatis et in signo religionis.

XVI. Virtute quidem bonus in sui creatoris imaginem et similitudinem reparatur. Cum tamen trimodae sit rationis similitudinum genus, substantiale videlicet, imaginarium et imitativum, secundum tertium homo

35 utcumque] utrumque *P* uterque *S*

[1] Matth. 22, 16.

suo conditori confertur. Imitando siquidem ipsum Deo conferibilis est, Dei filius nuncupatur et Deus non veritate nominis, sed similitudine veritatis. Imago quippe Dei qui fieri potest, cum omnis imago participatione corporei generis suo exemplari sit idem eiusque secundum lineamentorum colorumque dispositiones et species ab exemplari deducatur effigies, Deus autem spiriteae sit naturae, coloribus, sitibus, quantitatibus intervalli prorsus ignotus, quia nullis omnino corporalium stigmatum circumscribitur signis? Est igitur homo ⟨secundum⟩ spiritum sui conditoris imago, non quidem veri nominis, sed per quandam proportionis elegantiam translativi. Quia namque ad eam, quae dicitur, mentis imaginem plura concurrunt, ab eo, cui conferunt, quadam ratione deducta, sicut et ad eam, quae sui nominis est, imaginem plura, nomen illius est beneficio proportionis adepta. Quapropter eidem est et secundo quodammodo genere similis. Hoc etenim habet, altero agit. Hoc imago est, altero imitator. Imago moribus et sanctitate, imitator exercitio sanctitatis et morum. Habet equidem in se spiritus hominis rationem, fidem, iustitiam ceterasque virtutes, quarum veluti numero, quantitati, situi, sollerti compositione decenter adhibita tamquam in imaginem effigiatur. Caritatis autem unctione perfusus quasi speculum aptati vultus Domini signa se illustrantia quibusdam agendi resultationibus exprimit. Ubi enim mente discreverit, quid bonum, quid malum, quidve hoc aut illud, intensius, si voluntas exequendi bonum libero non desit arbitrio, in imaginem Dei quasi denarius est huiusmodi figuratione sigilli formatus. Si autem voluntati non negligens pareat executio, Dei fit per imitationem, ultra quod simillimum dicitur, similitudo. Et quia de libertate quam plurimum ambigi solet arbitrii, sit ad locum non popularem continenter a vulgi platea digressio, quatinus evidenter, sed altividae mentis obtutibus, per certitudinem illucescat.

XVII. Vires igitur hae quidem circa aliquid et in hunc modum videntur occurrere speculationi mentis in spiritu: appetitio, discretio, arbitrium, potestas, voluntas, electio. Appetitio quodammodo vult aliquid et affectat. Discretio, sitne licitum illicitumve, considerat. Ar-
6 bitrium, omittendum | sit eligendumve, determinat. Potestas electioni quidem offert, quod arbitrium approbat. Voluntas eidem saepe, quod offertur, ut arripiat, imperat. Ad extremum electio iussui voluntatis obtemperat. Cum itaque sit arbitrium diffinientis, utrum amplexibile necne sit animi de appetito sententia, non utique prius electioni liberum absolutumque consistit, quam potestas suppetat eligendi. Nam et prompta diligensque voluntas et potentiam supplet et factum. Unde si potestas adest vel omnino prona voluntas, dubio procul libera est et expedita electioni atque prosecutioni sententia. Porro autem est libertas

8—9 *om. PS*

alia generalis, alia specialis. Et generalis quidem est, ut agendi. Specialis autem, si libertas excipitur mediorum, secatur in gemina, ut alia sit agendi bonum, alia vero malum. Prima naturae est, secunda gratiae, tertia permissionis. Secundae autem alia dici valet ingenua, alia liberata[1]. Ingenua quidem in Deo et in angelis eius, sed in illis ex ipso est, et fuit in Adam ante lapsum; exin autem liberata. Mali vero libertas ante ruinam et post in Adam fuit et in angelis pravitatis, non quidem ex auctore boni, non ex natura, sed ex nihilo potius, unde in substantiam tam naturae quam naturalia seu nata Deo iubente venerat. Et videtur esse labilitas in prohibitum et stoliditas ad praeceptum. Contra primam gratia nonnumquam homini succurrit, ne proruat. Contra secundam manum porrigit, ut incedat. Hic succursus et porrectio dextrae nutantem a praecipitio liberant et invalidum a torpore. Sicque liberatur et ad bonum libertate liberata fit liber. Utique liberabatur et ante lapsum protoparentis, sed tunc, ne laberetur ut labilis; nunc autem liberatur ut lapsus. Haec itaque libertas restaurationis est, prior vero fuit custodiae. Fuit iterum illa clementiae, ista est multiplicatae misericordiae, quia boni gratis impio restituit facultatem.

Hactenus haec. Amodo redeamus ad seria.

XVIII. Bonum ergo vel naturaliter est et dicitur, ut creator, vel dicitur quidem nec natura illius est bonitas, ut creatura. Unde subdifficilis oritur et non inutilis quaestio. Quonam quippe modo creator erit optimus omnium, cum et aliorum nequaquam vere sit bonitas? Est equidem artibus absonum et a ratione dissonum, nisi secundum illis idem aliud alii superferri, ut albo vel albis album. Attamen, si tenemus, quid dudum ante praeiverit, nonnumquam scilicet usui rerum accommodare bonum, fit enodis et evacuabitur scrupulis quaestio scrupulosa. Liquido constat ex his, quae vulgariter apud omnes dicuntur, bonis, usus humano generi multos eorumque aliis alios meliores iugiter evenire. Quamobrem et intensive boni vocabulum eis omnibus attribuimus in commune. Quoniam igitur ex auctore luminum et origine boni munerumque virtualium vena plures illis omnibus et potiores, non iniuria nec enormi forma loquendi optimus omnium praedicatur primum quidem, summum et summe bonum.

XIX. Hic sola suae causa voluntatis et non alia condidit universa, a se quidem illa producens et ad se solum eadem ipsa dirigendo perducens, ut, quemadmodum erat universitatis A, sic etiam esset Ω et ad finem laudis eius universa concurrerent, qui universaliter omnibus est unum idemque principium et terminus idem. Quod si rationabilium virtute contingeret in his, quae geruntur, bona pariter omnia dicerentur.

[1] Haec divisio praevalet in schola Gilberti. Cf. A. Landgraf, *Die Erkenntnis der helfenden Gnade in der Frühscholastik.* (Zeitschrift für kath. Theologie 55 [1931].) 563.

Quia vero surripitur virtus et pro ea vitium inolescendo succrevit, iam non omnia. Nulla tamen universitas creationis amplectitur, quae non rectis atque sibi praefixis itineribus ad metam universitati propositi finis attingant, dum suum opificem cuncta laudant actu rationis vel ratione causae. Nam et in mechanicis sollertiam artificis artificii opus eloquitur et quasi quodam praeconio suae positionis attollit. Nullius fortitudo, vehementia, pravitas rapere quidquam potest de omnipotenti manu Dei. De thesauris suis cuncta produxit et ad gloriam suam absque devio sicut omnipotens attrahit universa. Clavam de manu Herculis extorquere difficile est; finem universitati debitum invertere nulli possibile. Attamen ipsum invertere deputatur, quisquis id molitur et gestit aut gestienti facit idem. Non enim esse videtur in agendo pravitas nisi vel actualis inversionis aut voluntariae vel eiusdem illi.

XX. Haec autem inversio malitia nuncupatur, bonitatis scilicet divinae privatio, quia cunctis debiti finis, id est creatoris, a suo iure depulsio, praevaricatoris autem tamquam debiti finis ingestio, quo pravitati res pareat et non auctori. Ac per hoc rapinae malignitas est et idolatriae censenda vocabulo et inversor idolatra, quandoquidem latriam sive latreusin in se, quem finem actioni constituit, transferre conatur. Huius vero sacrilegi raptus auctor extitit Lucifer, quando gloriam divinitatis per sedem aquilonis surripere conditori disposuit, quatinus ex tunc ipse deico non subesset imperio, sed creaturis imperaret ut Deus, ut, quod soli debetur opifici, persolverent creaturae.

XXI. Est autem nihil, et adeo nihil est ea, quae malitia dicitur, ut, cum sit caecitas, quoniam privatio, nihil, sit haec, ut ita dixerim, ipsa caecitate nihilius. Caecitas quippe nominis est veritate privatio. Oculum namque visione privat. Malitia vero deputative dumtaxat actum honore sui propriique finis expoliat. Hac malus dicitur actor, actus et agendi voluntas. Huiuscemodi privatio vitium dicitur et sub alia sui nota peccatum. Unde peccatum nihil est. Immo, quod ante patuit, plus nihilo nihil, praesertim cum et substantia careat generis faciatque genere supremae carere substantiae. Peccatum quoque dicitur voluntas et actus et dictio, quia materia sunt et argumenta peccati. Sunt etiam et ista nihil, quoniam causa, propter quam reus nihil erit ad causam.

XXII. Subito autem videbitur sanctitatis et iuris auctor iniurius, ac si pro nihilo damnet, quandoquidem pro peccato, quod nihil. Ad quod dicendum, quia nihil est rei, sed regi; nihil ad substantiam, sed ad causam. Quod ita melius positionis innotescet exemplo: Molitur aliquis et ultra perfidiae vires enititur dominum suum hostibus ad internicionem prodere. Citra proditionis eventum intercipitur. Fit reus et de proditione convictus ultimo supplicio condemnatur. Ratio, quia dominum suum morti prodidit. Iure autem, etsi non fuit, fuisse tamen deputatur illa proditio. Nam et concupiscentia moechum facit et odium

homicidam. Rursus autem et mors nihil est, | causa tamen est doloris 246
et pallida.

XXIII. Non autem simpliciter a quibusdam recipitur Deum cuncta fecisse, quae caeli vallantur ambitibus, quoniam ut absurdum vehementer hominum exhorret auditus eum fecisse galeas aut loricas, vehementius autem fecisse diabolum, vehementissime vero fecisse homicidium aut quidlibet execrabile factu. Verum hic quoque dividat intellectus, quae non discernit auditus. Intuendum itaque rerum opificem easdem operari trifariam: providendo, creando et propagando creata, ne pereant. Operatur rursus ut auctor, homo autem ut minister. Amplius autem praeter amminiculum creaturae operatur spiritus et fecit quattuor elementa; natura inserviente fructus, herbas et animalia; artifice coadiuvante quidquid bonum dici opus hominis consuevit. Sed in hoc ultimo sibi maxime derogatur, si talium factura soli adscribitur homini, vel etiam, etsi non soli. Locutionum itaque pervigil ac fidus interpres esse debet, non nescius, quia negatio alia fit ad vocem, ut quae inhaerentiam nude removet praedicati, veluti: non est Plato philosophus. Alia fit, ut sapienti loquatur ad intellectum, et multifariam spargitur. Fit namque negatio debiti, ut: non est Medea mater. Causae, ut: non est laetus dies. Decentiae, ut: non est in latrina Deus. Modi, ut: Christus non fuit infirmis naturae. Item: non est homo terrenus hoc vel hoc, ut spiritus vel corpus. Sint et alii negationum modi, nam hi, qui numerati sunt, contra sophistarum argutias casui praesenti sufficiunt. Modus itaque praedicati, non veritas abnegatur, cum proponimus Deum artificialia non fecisse. Subintelligitur enim: officio, qualiter nec Romulus urbem a se conditam condidit. Cum vero probant eum cuncta fecisse, theologi universitatis auctorem intelligunt, non ministrum. Iuxta quod dicitur: *Sine me nihil potestis facere*[1], per quem omnia.

XXIV. Cavendum tamen est ob scandalum fraternae simplicitatis ac vulgi, nisi forte contra abusionem haereticae pravitatis necessaria sit ad verae fidei perfectionem incurialitas et pueris irridenda, quia non trivialis sit admittenda locutio. Cavendum, inquam, ne passim ex universitate descendatur ad partes, ut dicatur mundi sator, quia fecit omnia, fecisse quoque loricas et ubilibet illic esse nominato loco turpitudinis, quoniam ubique est. Omnis namque, nisi phantastica sit, facultas conclusiones respuit indecentes. Unde et dialectica diffinitur facultas probabilia colligendi. Quocirca sola est non-indecentia colligendum. Nauseat stomachus imposturas, erubescit visus obscena, spernit auditus ineptias. Ceterum non nihil cautio cuiusque paene legis omittit, cum accidentia sit effrenis et dare circumstantiis non incautum.

[1] Joh. 15, 5.

Particulariter universalis est quaelibet fere lex, quoniam enormis est ratio sine decore modestiae. Huc accedit, quod ad ea descendere, quae summis oratoriis insunt, ex arte cavet orator, quando propriorum enthymematum summam et in una saepe retinens dictione singula perpensioni veluti manifesta relinquit.

XXV. His ita determinatis videri videtur, quod diabolum creaverit et non creaverit spiritus increatus. Et utique creavit et fecit eum, quidquid naturae, non pravitatis est ut diabolus. Eius enim hoc nomen inversionis et malignitatis est, quasi criminis auctor et scismatis. Nefarium vero dictu fatendum et sacrilegum cogitatu fecisse homicidium summe iustum, in quem nihil detestabile cadit, quamvis inquit: *occidam*[1] et *spiritum principibus auferat*[2]. Nam neque iuratos legibus iudices quisquam dixerit homicidas, si tamen eorum sit oculus in iudicio simplex et tenebrarum maculis non obductus, non amore caecus, non ira turbatus, non timore perculsus, non cupiditate discerptus. Haec enim in iustitiae quoque censura iudicem faciunt homicidam. Nec iam iuste sua iustitia punit, sed legitimae solummodo sanctionis. Planum autem hoc erit ex aliis, in quibus intransitiva sunt adverbia verbis et verborum transitiva personis, ut: diabolus iuste possidet condemnandos. Possidere namque diaboli est, iustitia vero Dei. Sic: utiliter pluit, delectabiliter currit equus, indignos indigne doces, laete dies illuxit. In his equidem ad aliam personam cedit verbum et ad aliam fertur adverbium. Quodsi dicatur neminem occidi iuste, cum sit legitimum: „non occides“, intelligendum: nisi secundum leges et virtutis amore.

XXVI. Sane, cum omnis natura per Verbum facta sit, constat, quod et actus homicidii ab auctoritate Verbi defluxerit. Nequit tamen esse, quod homicidii sit ex Verbo. Duo quippe simul in huius involucro nominis complicantur: natura et, quo pro dolor natura corrumpitur, vitium. Consuevit autem et in omni pagina virtuti vitium in voce praeiudicare. Unde falsitate quidem albi falsa dicitur aethiops albus homo, non hominis veritate vera. Similiter et in nota homicidii vitium naturae praeponderat, ut actus non a sui natura generis efferatur in laudem, sed a corruptione vitii producatur in contumeliam, quatenus absolute pravus nec a Deo, potius aliunde fieri praedicetur. Licet namque sit origine bonus, quia tamen depravatione contra, per circuitum insinuationis bonus utcumque dicitur, sed absolute malus. Cum enim sit vetitus nec ex Deo sit meritum sive causa poenae vel praemii, dicere, quod ex Deo sit actus aut bona creatio vel quomodolibet bonum, patrum omnino contemnit auctoritas, quia nimirum, quidquid ipse vetat ac devovet, officii virtus et sanctitudo moralitatis exufflat. In-

[1] Exod. 23, 27. [2] Psalm. 75, 13.

versio quippe finis rebus vetitis inseparabiliter adhaerescit et sibi nomen actionis usurpat et operis, ut et homicidium dicatur et actus et opus. Unde, cum sit homicidii nomen suspiciosum, quod ad actum naturae pariter et ad actum dirigit inversionis, suspicione alterius utrumque tacemus et, quod insuper amplius est, diffitemur omnicreatoris esse facturam. Priorem tamen quam id esse decere dici negamus. Est quippe secundi materia nec absque illius fieri valet rubigine ac per hoc una cum illo, cuius est, omnimodo prohibetur. Inversionis enim est et inversus. Hoc non per Verbum, sed per alium factum est. Homo namque ad laedendum applicari voluit, ut homicidii suus actus existeret, adulterini videlicet finis et nothi. Quapropter, etsi non fecerit actum, verumtamen actum fecit homicidii. Verbum vero contra, quia non fecit homicidii, sed homicidii fecit actum. Propter culices tamen importunae sophisticae, ne syllabico morsu per captiosas linguosae verbositatis insidias quemquam de pusillis eludat et de | suspicione 247
dicendi faciat irrideri, quod possibile dictu videtur, propter impossibile taceatur et, ut licenter dixerim, denegetur nec, quod dixerit, audiatur, actum scilicet pravitatis auctoritate Verbi contingere. Utique facit Deus, ut agat homo peccando, non autem facit, ut homo peccet agendo. Voluntate siquidem creatoris agente, sine quo dante cuncta moveri nemo movebit manum, qui quaelibet operatur, agit. Peccat autem ipso eum veluti puerum paedagogo adiutricem non exhibente gratiam, sed sibimet deserente. Quod tamen est turbidum turbae, cuius *nocti nox indicat verbum*[1], illius auribus subticeatur. Immo, quia non ablactandus, non a papillis avellendus est infans, cuius mandibula vix ipso lacte non frangitur, sicut iam praestruximus, abnuatur.

XXVII. Movet autem, quod legitur: in voluntate Domini posita universa et nihil eius posse resistere voluntati[2], ubi nec ullum intercluditur etiam concreatum. Efficitur enim ex hoc et improbos actus a tramite sempiterni praescripti nec possibiliter declinare. Utquid igitur illos improbos asseramus? Numquid a creatura substantiam sortiuntur? Qui fieri boni queunt, nisi eis bonitatis divinae potentia freno sui gubernaminis moderetur? Unde, cum tota ratio motus ex auctore probitatis et motuum actioni contingat neque sit humanitatis auctoritas suis motibus moderanda neque motum moveat, potius autem et saepe nolens moveatur et instigetur a motu, videbitur nec agens nec agentis quaelibet actio de iure culpanda, praesertim cum et legatur: *convertit cor eorum, ut odirent populum eius*[3], et: *cor regis, quo Deus voluerit, inclinabit*[4], quoniam ad cogitationes virtutis et contra. Sed

6 fracturam *P* 28 voluntate *PS* 35 monerandi *P*

[1] Psalm. 18, 5. [2] Gen. 50, 19; Rom. 9, 19. [3] Psalm. 104, 25.
[4] Prov. 21, 1.

inquies illud convertere non auctoritatis, sed permissionis esse divinae, et inclinare cor ad cogitationes illicitas esse non respicere lapsum. Verumtamen, inquam, quod culpatur, immune videtur a culpa, quia *neque volentis*, inquit, *neque currentis*[1]. Ad istud etiam succensebis, quod neque sic homo valeat excusari, dum, ne prohibitum foret, non, cum posset, diligentissime procuravit et studuit. At, qui contulit, inquam, posse, cur non etiam effectui potentiam mancipavit? Ais autem, quia is non voluit, cui fuerat collata potentia. Esto! Sed quonam, inquam, modo laudabilem voluntatem haberet et vellet, nisi totum sumeret aliunde? *Quid*, inquit, *habes, quod non accepisti*[2]*?* Nemo venit nisi tractus[3].

XXVIII. Non obscurum ergo est ex hac ratiocinatione videri bene volendi principium ex omnipotentis imperscrutabili voluntate manare. Invocet igitur abyssus abyssum[4] et profunditatem causarum in Trinitatis sinu latentium trutinando vestiget et vestigando calculet ac metiatur. Non enim ipse video, quod incommutabilis omnipotentia creatoris impulsionis nostrae causulis addicta sit, ut quidquam, nisi quoniam et iuste voluit, fecerit vel sit quandoque facturus. Eius tamen iustae voluntatis sunt nostri motus et opera coniecturae. Horum namque praesagio conicitur, non efficitur misericordia divinumque iudicium. Quia namque sic agitur, praenoscitur et dicitur sic agendum. Et quia modo caelum rubet, dicimus: ‚erit hoc'. Profecto enim, quia rubet, ‚erit' dicimus; non autem, quia rubet, ut dicimus, erit. Sed divina pietas etiam sic illos ad obtentum suae gloriae dirigens frequenter obliquato stili defectu consulere decrevit electis. Nam reprobos tamquam vasa irae contumeliae deputavit ut figulus[5]. Est autem evidentior in huiusmodi causa veri, quia sic imperscrutabilis rerum dominus voluit. Quod vero iuste rerum probamenta suadent, cum et apud iudices terrae tam gentium quam civili iure mereantur scelera poenarum animadversione mulctari. Praeterea iustus et ipsum iustus Deus est. Unde quamvis omnia possit, minime tamen potest aliquid iniuste vel non iuste peragere.

XXIX. Quaeritur nec absurde, si possit aliquid, quod non velit. Aiunt quidam[6]: minime; alioquin non idem esset ei posse, quod velle. Rursus autem, quidquid potest, bonum est. Si quid ergo sibi possibile exhibere nolit effectui, rite, quod invideat, subinfertur. Adhuc autem, si quid fecerit, quod non vult, erit sibi peractum dissidens et voluntati

---

35 Ad hec *PS*

---

[1] Rom. 9, 16. [2] 1. Cor. 4, 7. [3] Joh. 6, 44. [4] Psalm. 41, 8.

[5] Rom. 9, 22; Apoc. 2, 27.

[6] Invenitur haec doctrina in schola Petri Abaelardi. Cf. *Epitome theologiae christianae* c. 5 (PL 178, 1700); (fol. 70 et 71 v); *Sententiae* Cod. Paris. Nat. lat. 18108; *Sententiae Florianenses* (Editio Henrici Ostlender [Floril. Patr. Fasc. XIX. Bonnae 1929] 11).

suae contrarium. Sic de nescio quo dicunt: hominum quoddam genus opposuit, immo, quod impudentissimum est atque praecipitatae mentis insania, posuit. Neutrobique nempe consequitur, sed, ut ita loquar, dissequitur plane patrem universitatis optimum, a quo procul invidia relegatur, cuiquam invidere vel suae fieri sanctitati rebellem. Non enim ex invidentia differt aliquid vel prorsus omittit, cum et faber lignarius non invidiae spiritu, sed artis moderamine potius inducíat aliquid aut penitus intermittit. Nec vero faciet contra velle, cum fecerit, quod modo facere non vult, quamquam sint velle et non velle contraria, si neque faber contra velle faciet, cum fabricaverit, quod nondum fabricare libuit, sed alii tempori destinat fabricandum. Faceret autem contra velle, si nolens faceret aut contra quod voluit. Volens, cui tamen numquam, ut paenitenti vel improbanti solet, est sua displicens vel ingrata voluntas. Quidquid enim umquam voluit, vult, quia totum se vult voluisse, quod voluit. Scit etiam quidquid novit, quia scit se nil descisse, quod scivit, cum ipsum nulla prorsus norit oblivio. Nam quod oblivisci vel paenitere dicitur, non est ad proprietatem, sed ad similitudinem referendum. Non enim in superrationalibus sermones habemus cognatos rebus, de quibus loquimur. Suum nomen non sequitur ratio. Rem, ut est, verba non explicant. Non loquimur, ut explicemus, sed balbutimus, ne taceamus. Ineffabilem saltim iubilis effari gestimus.

XXX. Est ergo divinitatis oblivio dilatio retributionis, subtractio muneris, nonimputatio operis; paenitentia mutatio rerum, iuxta quod scriptum legitur: *paenitet me fecisse hominem*[1] quasi: circa genus humanum idem faciam paenitenti. Sic, licet inintensibilis est, dicitur ipsa tamen divinitas intensive diligere, quoniam habet se intensive diligenti similiter. Quod linguae genus de politica sumptum, etsi theologicae facultati sit quasi notum, tamen rebus est theologicae peregrinum. Sunt namque verborum alia cognata cuipiam facultati, sed rebus essentibus aliena, ut ei, quam dialecticam vocant, individuum, species et inhaerens; alia consanguinea rebus et extranea facultati, ut dominus et servus; alia utrisque sua sunt, ut subiectum, differens et prima substantia; alia familiaria neutris, ut dominium et libertas. Sic propemodum aliena forent paenitudo | et oblivio theologicae rebus et facultati, 247
nisi quod assuevit interdum illa de vicina regione politicae mutuari. Semper enim induitur alienis, cumque sit prae ceteris rerum dives, nullum tamen habet nisi mutuo sermonis amictum, non proprium linguae genus; nullum prorsus in eloquio nisi raptim splendoris insigne. Eius namque summe glorioso primatui facultates veluti regiones et

1 contrarius *P* 21 *fortasse* psaltim?

[1] Gen. 6, 7.

climata suppeditant omnes et deferunt; ipsa vero earum nulli, sed ab earum singulis rerum atque linguarum pro delectu suscipit munia.

XXXI. Praenotatas mendositate sententias, omnium scilicet optimum invidere suoque permanenti consilio repugnare, ratio iam praestructa refellit. Extremae praeterea falsitatis est esse bonum, quidquid est omnipotenti bono possibile, quia nihil profecto bonum vel malum, nisi potestate vel causaliter est, quod entium numerus non attingit. Sin vero esset, alterum fore posset. Nam et neutrum, quale non deputatur examini, ut comestio, gemitus et oscillum. Ceterum possibile Christo fuit in mente suscitare Iudam et caelestis militiae legiones rogare patrem. Neutrum actu fuit. Quomodo ergo bonum? Fuisset vero bonum, si contigisset. Unde clarum satis et luce clarius est omnipotentiam facere posse, quod facere numquam velit. Est tamen ipsius voluntatem aequiperari potentiae, sed in hunc modum: Voluntas enim divinitatis alia faciendi est et citra posse consistit, alia potendi est et potentiae coaequatur, ut sicut in omnibus sibi possibilibus est, sic eadem omnia possibiliter esse velit. Homo nollet totum posse, quod potest. Potentiam vero Dei voluntas omnino commendat, quia nihil eius est obnoxium potestati, quod non velit in ea persistere, licet non in generationis effecta prodire. Quod autem ante pusillum dictum est ‚alia quidem et alia', non ad substantiam vel numerum voluntatis accipitur, sed ad voluntariorum modum, ut et *semen aliud cecidit supra petram, aliud in terram bonam*[1]. ‚Alius' etiam ‚et alius' quodammodo speciem exerit voluntatis, eadem ipsa, non alia. Potest igitur et longe congruentius et vicinius veritati quam aequalitas singularitatis identitas assignari, quoniam sit deitas et potestate volens et voluntate potens. Non enim est reciprocatio talis inelegans, quam indifferentia suggerit unitatis, ut: candore albus et albedine candidus. Est namque simpliciter esse, quod fit multipliciter dici. Idem namque est albus color et candidus; quo fit in sermone distinctio quam in virtute discretio. Ex adverso etiam concretio est, ubi fit solitaria dictio.

XXXII. Singularis et unica est praepotens et immensa potestas et Deo propria per naturam, sed participatione muneris creaturis omnibus communis est. Hanc praeter nullam, quae peccandi censetur, solam theologus de entibus et non entibus per verbum potestatis intelligit, prodesse dicens vel obesse posse animal, herbam, venenum, gladium, mortem. Potest siquidem auctor omnium, ut commodum et incommodum per illa contingat. Potest, ut eveniat, cuius numquam erit eventus. Sic et chimaera possibilis est. Quamobrem solus est Deus in leone, gladio ceterisque nocibilibus metuendus. Hac consideratione factus est mariambulus Petrus, hausit poculum veneni Johannes, alligavit os draconi Silvester. Est tamen non improvidum, non dico, metuere, sed

[1] Luc. 8, 6—8.

cavere ea, quae laedere possunt. Profecto enim sicut unus est Deus, sic est timendus et unice. *Nolite*, ait, *timere eos, qui* etc., *sed eum timete solum, qui*[1] etc.

XXXIII. Huiuscemodi timor maioris luminaris est radius, cautela vero minoris. Est namque scientiae rerum ordinem naturamque discutere et ita noxia, prout expedit, evitare. Sapientiae vero est cautelam fide transcendere. Pro qualitate signorum devitat industrius nauta periculum aut ventorum spiritui vela non subtrahens aequoreae vastitati sese credit intrepidus. De virtute vero Christi praesumens, cuius verbum faciunt spiritus procellarum, contempta spumantis rabie ponti fragorem fluctuum perambulabit indubius, non quidem praecipitanter, sed si pro fratribus virtus exegerit caritatis. Non enim est omnipotens temptanda potentia. Cumque sit timor poenalis, qui temporalia sibi subtrahi perhorrescit, et initialis, qui intrare compellit, et servilis, qui in odio famulatur, et filialis, qui cum dilectione deservit, et castus, qui dilectionem perpetuitate continuat non puniri formidans, sed a sponso seiungi, quolibet horum solus est verendus omnipotens.

XXXIV. Sunt autem et plurimae, sed usus philosophici, potestates, quae singulos singulae praeveniunt sibi debitos actus, ut risibilitas et rationalitas. Illi enim coaccidit risus, huic autem est adiuncta discretio. Sunt et constitutionis ethicae potestates praerogativae scilicet disponendi moralia. Hisque se ingerunt et attexunt tyrannicae praelativae. Ipsi quoque potentes potestatis sibi nomen usurpant, cum et alios ipsi collocent in sublimitate potentiae vel impune quodlibet exerceant. Amplius autem ad haec dicitur quoque potestas illa felicior omnibus divinitus collata sublimitas, qua credentes filii efficiuntur altissimi. Perspicuum est et ab his alios extare potendi modos, sed ad potiora cepta festinat intentio.

XXXV. Quid igitur est Deum nihil horum odisse, quae fecerit, cum et iniquos homines, quos equidem odit, ipse creaverit? Ad quod dicendum, quia nihil talium, qualia fecit, odivit. Nullam substantiam pro natura illius inhorret neque naturam pro genere detestatur, sed utrumque pro naturae comite vitio saepe vultu odientis avertitur. Approbando vidit et nunc cuncta, qualia fecerat, creata pariter et concreata. Sufficientissime quippe bona suorum intuitu generum et causae primordialis ac finis, ad quem universa contendunt, etsi vim a perversis in itinere patiantur. Quocirca non odit homines, sed iniquos. Eius enim opus est humanitas, alterius superseminantis iniquitas. In existentium ergo numero nihil est, sed ad calculum exerendae sententiae magnum malum et amarum aliquid est. Vetita namque fuit et vetitus actus, qui consortio eius nequaquam valet esse licenter et ideo malus. Prohibitio enim licitum quoque facit illicitum et illicentia malum.

[1] Matth. 10, 28.

Nihil rursus a se factum odivit, quia, quidquid fieri iussit, amavit. Et cuncta, quae fecerat, erant valde bona, quia tantum bona mandato facienda providerat. At vero principio bonum est inveniri malum, ut quod a tramite finis exorbitat. Immo, solum bonum malum est. Nihil est tamen ambo, nihil est pravum et studiosum. Dicitur tamen et non bonum. Malum siquidem malitia, sed ut pravitas prava. Habent nempe circa idem esse privantia. Praestructum vero fuit bonitatem malitia
248 privari. Quare | non est malum, nisi principio virtutisque debito bonum. Sed interest, ut claruit, quia veniente caecitate visus abscedit. Non vero sic per incursum malitiae bonitas absentatur, dum veritas dicti non hic praestet rationi vere dicenti.

XXXVI. Quemadmodum ergo dictum est, forma divinitatis est bonitas et solius ac sola, qua solus est ac solum Deus. Hoc dictus nihil aliud per naturam substantiae reperitur nec ex aliis hoc, quod integre et inconiuncte est. Qua de re non est et est, semel autem et simpliciter ac per hoc vere est. Pater quippe generationis est, non generis nomen; non naturae, sed nativitatis est Filius. Relativa, non substantialia sunt. Et quidem una est natura, qua et cuius et quae sunt natus et genitor; suntque natura, quod relative dicuntur, scilicet Pater et Filius. Sed natura dicitur, ne accessive putetur, non autem, ut hae relationes naturae vel natura credantur. Sic quoque natura sunt Deus atque aliter, cum utriusque natura sit deitas. Non quidem aliud nec ad aliud quam Deus Pater est, quia Pater, sed ad se numeraliter aliud. Non enim ad se ipsam est categoriae praedicatio relativi, sed ea omnis exterioribus datur. Denique sic aeternus dicitur Deus, ut ab ipso temporum metae penitus arceantur. Unus autem, ut nullus eorum, qui dii dicuntur, ei consimilis cogitetur. Unde: *Israel, Deus tuus Deus unus est*[1]. Cuius loci vis in eo sita videtur, ut in summo et vero Deo non naturarum unio, sed unitas sit credenda naturae. Nec conformis quidem, sed, qualis extra nequeat inveniri, difformis. Quippe singularis et simplex est, solitaria quidem et individua. Quocirca prorsus unus est Deus omnisque compositionis penitus expers ac per hoc omnimodo simplex, partibus, causis et omni concretione carens. Unde non dicitur unus tamquam intelligendus unitus aut inter ei consimiles singulus, sed veluti super omnino sibi dissimiles solitarius et ultra metas opinionis omnibus creaturis absimilis. In unius igitur et aeterni vocabulis vis est negationis implicita.

XXXVII. Aequivocatur praeterea bonitas, usus atque honesta peritia. Aliter enim improprie nisi rarenter occurrit. Nam ex virtute bonitas translativi generis est, quoniam prosecutione virtutis imago summi

---

6 *fortasse* sicut piavitate piavum 11 dicendi *P*

[1] Deut. 6, 4.

boni non deleta, dixerim, sed detrita in homine restauratur. Malitia vero dicitur actionis et privatio bonitatis summique boni a gloria suae maiestatis expulsio. Cui si veritatem obtinere privandi natura concederet, vere haec et illius esset.

Tituli Secundae Partis.

I. Multifarie describi iustitiam et in speciem devocari genus.
II. Universitatis ratio saepenumero vaga reperitur in maiorum paginis et frequenter accommoda.
III. Quid officium, et semper in actu bono virtus, finis et ratio concurrit officii.
IV. Qualis et quali casu liceat in se cuipiam propriae manus iniectio.
V. Quid mos, quid agendorum finis omnium, quaeve diversitas finium.
VI. Idem accipi vivere bene, virtualiter, sancte, iuste vel pie.
VII. Iustitiam dici multipliciter, sed et iustum.
VIII. Virtutes et opera viae potius sunt ad regnum quam forsitan causae regnandi.
IX. De varietate causarum et quod amminiculans nomen usurpat efficientis.
X. Cur opus iniungitur regnaturis, cum regnum feratur accepto.

I. Decursa non inutili superioris brevitate compendii, ne sumpto maius aegre feratur assumptum, de iustitia et iusto, pro quibus specialius istud arripuimus iter, sit continuum, quod expedit adoriri. Iustitia ergo est aequitas ius unicuique retribuens pro dignitate cuiusque. Dicitur constans et perpetua voluntas ius suum unicuique tribuens[1]. Est et habitus animi communi utilitate conservata suam cuique tribuens dignitatem[2]. Similitudo quoque dicitur cum supernis divinisque substantiis. Quod si uspiam contingit, ut fortasse videtur, in nomine virtutum iustitiam praerogari, bene constitutae mentis habitus[3] appropriato communi termino diffinietur. Non enim semper, etsi saepe vel saepius, sumitur generaliter genus, sicut neque relativum relative neque nominaliter nomen neque verbaliter verbum, sed est, ut ad partem contrahatur et devocetur in speciem, quemadmodum virtus in notione postrema. Eodem modo specificatur animal, ubi dicitur: sentire habet homo cum animalibus. In partem nempe contrahitur et compositione fit species sub animali contra hominem divisiva. Similiter et apud Aristotelem[4] substantia coartatur et in usu Salomonis homo.

[1] Justinianus, *Institutiones* I 1 (Corpus Juris Civilis I 1. Berolini [1902] 1).
[2] Cicero, *De inventione* II 53. Augustinus, *De div. quaest.* XXXI (PL 40, 20).
[3] Boethius, *De differentiis topicis* lib. 2 (PL 64, 1188 C). Cf. etiam: Cicero, *De inventione* II 53.
[4] Κατηγορίαι (J. Bekker, Aristoteles Graece I [Berlin 1831] 2).

Ait enim: *Deum time et mandata eius observa, hoc est omnis homo*[1]. Negat esse hominem, cui diffinitio ista non insidet, quem eius beluini generis esse considerat, cuius ab humanitate, non humani corporis specie derelicti iure aliud canis, aliud dicitur vulpis et quidquid illud est, in cuius est naturam improbe transformatum. Animadvertendum itaque duas esse virtutis species contra invicem divisivas, innocentiam et iustitiam. Innocentia declinat a malo, iustitia facit bonum et nomine virtutis praecipue diffinitur. Sciendum vero est praefatas notiones in parte non plenitudine suae rationis ad statum praesentiae recipi. Quis enim, ut in uno, quod dicitur, elucescat, consimilis hic spiritibus angelicis invenitur, qui conditori suo per contemplationem consummatae iustitiae semper adhaerent et nullis culpae maculis variantur? Alioquin ergo qualiter *omnis homo mendax*[2]?

II. Hic ne anilis clamor et garrula caecitas inferat esse mendacem Christum, quandoquidem omnis homo, ideo quibus accipi solet modis ratio universitatis, quam ‚nullus‘ et ‚omnis‘ aliaque huiuscemodi signa determinant, nunc dicetur. Universitatis itaque disquirenda vigilanter intentio accommoda reperitur et vaga. Accommodatur equidem tripartite, quia tempori, significationi et generi. Tempori, ut: ‚omnis homo animal est‘. Non enim est veritas haec nisi temporis instantis. Alias autem ad tempora quaeque diffunditur, ut: ‚omnis homo resurget‘.
3v Haec enim propositio de omnium temporum hominibus resur | rectionem enuntiat. Significationi quidem invenitur addicta, ut: ‚omnis canis latrabilis est‘. Hoc etenim non nisi de latrabilibus verum est. Evagatur autem ad omnes universaliter significationes huius nominis ‚canis‘ pro denuntiantis arbitrio, ut: ‚omnis canis est substantia‘. Haec etenim dictio de tribus est significationibus vera coniunctim et de singulis singillatim. Aeque se habet ad singulas et ad omnes. Deligit autem universitatis sententia genus, ut: ‚quidquid est, corpus est vel spiritus‘. Haec enuntiatio generi substantiarum addicitur. Non enim de coloribus est vera vel lineis. At ‚omnia creavit Deus in pondere et mensura‘[3] corporalium tantum genus exequitur. Nihil quippe noncorpus est ponderi vel mensuris obnoxium. Sic apud dialecticos ‚quidquid est, substantia est vel accidens‘ solas colligit naturas substantiarum, non mores, non rationes, non denique genere, sed ratione substantias et, quae illis dumtaxat accidunt, genere vero substantiis incidunt, formas. ‚Caelum tegit omnia‘ sola, quae caelo teguntur, amplectitur. ‚Omnis homo timet in periculo‘ solos in periculo constitutos. Ubi vero dicuntur omnia facta per verbum, nulla de creaturis excipitur. In hunc itaque modum, quod dicitur *omnis homo mendax*[4], non nisi, cui competit

---

[1] Ecclesiastes 12, 13. [2] Psalm. 115, 11. [3] Sap. 11, 21.
[4] Psalm. 115, 11.

humanitatis sola substantia, contuetur. Christus autem divisionem et geminae substantiae gigas[1].

III. Huius considerationis expertes tam in divina quam in humana pagina nonnulli sunt in errores devios iam elapsi. Nec minus errarunt in rationibus et regulis disciplinae, dum vel proprias communicarunt vel communes appropriarunt. Sic Arrius esse homousion Trinitatem indisciplinate atque in sui perniciem denegavit.

Nunc ad prosecutionem iustitiae sit recursus et diffinitionem eius ultimam mentis hilaritas perrimetur. Ea fuit: bene constitutae mentis habitus. Ad agendum puta. Nam iustus ad actum respicit. Multifidae mentis sermo habitus est. Aut enim contra privationem dicitur, ut auditus et visus; aut contra dispositionem, ut applicatio iam vix mobilis, qualis est virtus et scientia; aut ad veritatem generis, ut bipes et animatum; aut ad similitudinem veritatis, quales ethicus indagat et logicus, ut habere domum et habere scientiam. Aliter autem rursus dicitur habitus, sed hic numerare superfluit.

Iustitia ergo est non iam dispositio, sed habitus bene constituti animi. Tunc vero demum bene constitutus est animus, cum iam constantis fuerit et perpetuae voluntatis ad bene agendum. Verum ad istud ‚bene' virtus, finis et ratio concurrit officii[2]. Et est officium agendorum civiliter data licentia, quamvis et actus cuiusque personae secundum mores civitatis officium transnominetur. Finis vero divina bonitas, quae Deus et ipsum Deus laudabiliter praedicatur. Si enim vel praeter officium finis vel absque fine ratio procedat officii, culpae assignatur et actus et agendi voluntas et agens. At ubi finis et officium simul in actu concurrunt, procul dubio sua virtutis via progreditur et opus iustitiae congrue nominatur. Non enim mala Deo fine fieri possunt neque bona praeter officium amministrari. Peccat ergo, qui veluti fine Deo manu propria sibi vitam extorquet suspicans, quia se superstite sua non temeranda possit religio violari. Quocontra scribi videtur nemini licere propria perire manu absque eo, ubi castitas periclitatur. Sed occidere quaevis et quilibet inhibetur. Non enim iudex, sed iustitia supplicio dignum punit. Non est quippe iudicis ministra iustitia, sed minister est iustitiae iudex. Quod igitur propriae manus iniectio pro casu licere innuitur, sic intelligendum videtur.

---

1 divisionem] *fortasse* divisus est.

---

[1] Cf. *Senta Divinitatis* ed. B. Geyer, 52* 14—15. n. 1.

[2] Doctrina haec scholae Gilberti Porretani propria est. Conferantur *Commentarius in epistolas Pauli* Cod. Paris. Nat. lat. 686 (fol. 36v); Simonis Tornacensis *Summa* (Cod. Paris. Nat. lat. 14886 fol. 33 sq.); eiusdem Quaestiones (Cod. Berolin. Philipp. 1997 fol. 76v); Magistri Martini *Summa* (Cod. Paris. Nat. lat. 14556 fol. 324 et 325v); Alani de Insulis *Regulae theologicae*, Reg. 75 (MPL 210, 659 sq.); Praepositini *Summa* (Cod. Vat. lat. 1174 fol. 42); Gaufridi Pictaviensis *Summa* (Cod. Paris. Nat. lat. 15747 fol. 44).

IV. A tyranno virgo perurgetur ad stuprum, faciem sibimet exterminat unguibus, membra dilacerat et demolitur sibi nasum, ut obsceno displiceat amatori. Liceat talis iniectio, de qua tamen et perire forte, sed non sponte contingat. Nulli vero se perimendi licentia permittenda est, quia sanctitati reluctat officii. Quamobrem neque fini veraciter assentitur. Habet certe suam rem publicam machinae mundi sator et caelicis terrenisque civibus constitutam, ubi quamplurium constituit rationum officia. Illic principatus et potestates ceterosque beatorum spirituum ordines, hic regnum et sacerdotium et, quae ab his infra ministeria cognoscuntur, miro ordine dispensavit. Non omnia dedit uni, sed quaedam contulit unis et alteris illa prohibuit, saltim eo ipso, quod in exemplo Caesaris et Dei sua unicuique reddi iussit[1]. Quasi diceret, ut, quod Caesaris est vel alterius, alius non usurpet; qualia sunt honor, census, condere leges et tenore legitimo vitam pro meritis extorquere. Unde, qui ministerium usurpat inhibitum, ordinationi divinae resistit, quandoquidem ad officium aliunde, non per auctorem intrat officii. Igitur et in angore positus praecaveat impeti suae necis, quoniam in caelesti patria non est hereditas homicidis. Nam ultio, quae fit legibus in latronem, non est homicidium, sed vindicta; non tyrannidis, sed consuetudinis est moralis.

V. Mos autem est consuetudo, quam unicuique iuxta suum officium et, qui debetur officio, finem ad proventum rei publicae diuturnam maiorum sanxit auctoritas. Hunc finem opificem creaturae solitariae cogitamus, quo non attento praecipue frustra quisquam rei publicae moderatur habenas. Non enim est in culmine rei publicae supremus humanitati limes et ultimus constitutus, sed in principio universi, quo tandem est transcensis omnibus enitendum. Is omnis consummationis est finis, quia vel consummationis est ipse consumptio, vel ad ipsum fit consummatio.

VI. Sciendum praeter haec idem accipi vivere bene, virtualiter, sancte, iuste, pie, tamquam idem sit bonitas, virtus, sanctitas, iustitia, pietas, nisi quod apostolus dicens: *iuste et pie vivamus*[2] videtur inter iustitiam pietatemque dividere, ut ad usum iustitiae reddat officium, pietatem autem referat fini. Porro quia cultus divinitatis specialiter intelligitur pietas, idcirco post ‚iuste‘ ‚pie‘ subiunxit innuens non esse dicendam iustitiam. Ibi naturalem finem finis eliminat peregrinus.

VII. His taliter expeditis annotandum, quod in nomine iustitiae non uniformis est usus. Iustitia namque dicitur, sed in causa, voluntas. Item et mentis habitus optimus de tali voluntate | consurgens. Ad haec

[1] Matth. 22, 21; Marc. 12, 17; Luc. 20, 25. [2] Tit. 2, 12.

et sancta praeceptio *iustitiae,* inquit, *Domini rectae*[1]. Opus etiam praeceptionis et habitus, quia beati, qui faciunt iustitiam[2]. Dictio quoque iustitiae, quam non utique vere loquuntur hypocritae, dum non dictis facta compensant. Super haec autem et divina substantia. Nomen itaque *iusti* naturam sequitur et sequitur habitum. Natura namque iustus est Deus et habitudine mentis homo. Efficientiam quoque prosequitur suae causae sicut *unus,* ut sit iustitia iusta, quemadmodum unitas una. Rursus autem et solam iustificationis sequitur gratiam, qua Deus et homo iustus dicitur. Sed iustus Deus, quoniam immaculatus et iustificans; iustus homo, quia iustificatus, emundatus a culpis et ad regni fastigia deputatus. Haec autem iustificatio videtur esse per impunitatem universi reatus immunitas et interminabilis vitae possessio et aeternitatis est non ignota temporibus. Qui enim fecit, quae futura sunt, et in quo facta prius erant vita, quam viverent, antequam esse, quos suos novit, inceperint, et impunitati reatuum et consortio deputavit angelico. Haec absque iustitia tam naturali quam positiva, non vero sine hac in electis naturalis aut positiva iustitia reperitur. Hanc ergo divini puto mysterii et caelestis arcani iustitiam, virorum optime, sitiebas, dum tua sublimitas, quod de iustitia libuit, viribus parvitatis iniunxit. Hanc non ex malefidae felicitate fortunae, non ex prosperitatis fugitivae successibus, sed ex observantia divinae institutionis et humanae simulque nativae iustitiae perpendimus donativis. Haec quoque iustitia nuncupatur. Huius intuitu dicitur Abraham credendo reputatus iustus[3] et iustus ex fide vivere[4]. Hac in baptismate gratis impius iustificatur et pueri iusti fiunt non ex iustitia operum, non ex operibus iustitiae, sed ex iustitia tantum iustificationis et gratiae, qua denique sola salvantur omnes, quos in libro vitae divina praescripsit electio.

VIII. Absit enim, ut Pelagio coaptemur, qui neglecta gratia penes liberum arbitrium auctoritatem operandi constituit et efficientiam salutis in meritis operum collocavit, quasi *condignae sint passiones huius temporis ad futuram gloriam*[5], et non ex misericordia, sed ex operibus iustitiae salvi simus. Datur a Deo praemium, quia pollicitum quam promeritum. Debetur ratione promissi quam lege meriti. Sicut de liberalitate sponsio, sic est de liberalitate solutio. Vult tamen ex sua clementia Deus nuncupari debitor, ut laborare non haesitet agricultor. Vult, ut sit fidelis credendo sibi pollicenti sicut ipse fidelis est pollicita reddendo credenti. Numquid gratiam habet Dominus servo, quia fecit, quae sibi imperaverat? Non, inquit, puto. Unde virtutes et opera viae potius sunt ad regnum quam forsitan causae regnandi[6]. Non enim

[1] Psalm. 18, 9. [2] Matth. 5, 10. [3] Iac. 2, 23. [4] Habacuc 2, 4; Rom. 1, 17; Gal. 3, 11; Hebr. 10, 38. [5] Rom. 8, 18.

[6] Doctrina haec scholae Gilberti Porretani videtur esse propria. Conferatur *Commentarius in epistolas Pauli* Cod. Paris. Nat. lat. 686 (fol. 44v); Radulphi

cunctipotens bonitas, quae ex suis ipsa subsistit extrinseci boni non indiga, forinsecis causis obstringitur, ut merito laboris diurni de iure civili cogatur operario reddere sero denarium, sed sola illi est pro causis et ratione voluntas. Quid igitur? Otiandumne est et a labore vacandum? Hoc profecto cuipiam sit videri, si non efficientibus operum causis debeat coronari. At quod efficientibus dixerim, sed quoad illas est consequens.

IX. In praesentiarum itaque ceteris causarum differentiis supersedendo non otiosum existimo contueri, quia causarum alia efficiens et bipartito, quoniam aut auctoritate aut ministerio. Alia, quae etiam efficiens, nuncupatur amminiculans[1], sed plurifariam, quia vel ad essendum, ut doctrina, — *fides* enim *ex auditu*[2] — vel ad faciendum, ut suppellex, vel ad interpretandum, ut nomen, vel ad cognoscendum, ut sacramentum, fides et opus. *A fructibus,* inquit, agnitio[3]. His nimirum intersignis velut attributis personae salus excogitanda suggeritur. Neque nos illud fugiat, expedit, quia signorum coniectiva salutis meae praesumptio alia quidem et alii, alia mihi soli. Alii opus et dictio flatilis, mihi vero dictio cordis. Alius de sacramentis ecclesiae, sine quibus mihi prorsus est nihil, causam meam praesumit exterius; ego vero de statu ingemiscentis cordis et iniustitiam suam adversum se Domino confitentis[4] coniecto interius. Quocirca damnari potest aliquis in sepulturam, qui tamen a Domino non damnabitur in gehennam. Quemadmodum ergo neque fides neque gladius neque interpretatio neque agnitio absque suis amminiculis fiunt, a quibus tamen nequaquam, etsi dicitur, efficiuntur, ita neque salus confertur, nisi praeeant fides et virtutes et opera. Et inde est, ut collativa praemii et salutis effectiva dicantur, non quia conferant sui condignitate salutem, sed quia minime conferretur, si ista non antecederent. Ita enim salutis auctori placuit ordinare dona carismatum, ut, cui non concederet primum, negaret eidem quoque secundum. Item, cui primum largiretur, eidem quoque secundum, *gratiam* scilicet *pro gratia*[5]. Numquidne vehiculum, via, labor eundi languido, quem ad medicum provehunt, impertiunt sanitatem? Id causa, quam veritas fateatur. Sine his tamen aegro nequaquam sanitas a medico praestaretur. Sic et opera causae sunt, sine quibus operari valens vitae munere non donatur.

---

6 illis *P*   8 In] *deest litt. initialis* J *in P* Non *S*

Ardentis *Speculum Universale* II c. 17 (Cod. Vat. lat. 1175 I fol. 19v). Proponitur etiam a Petro Cantore in *Summa* (Cod. Paris. Nat. lat. 9593 fol. 39).

[1] Verbum *amminiculans, amminiculari* scholae Gilberti Porretani est proprium. Haustum est ex Gilberti *Commentario in Boethii Librum de duabus naturis et una persona Christi* (PL 64, 1411).   [2] Rom. 10, 17.

[3] Matth. 7, 16.   [4] Psalm. 31, 5.   [5] Joh. 1, 16.

X. Cum igitur accepto feratur, utquid opus iniungitur? Et quidem, ut adoptatus in regnum dignus regni solio videatur, quod tamen voluntas ei sola concedit. Similiter est terreni quoque regis voluntas, ut filius suus equitet, ludat, campestribus intendat armis, res pacis et belli procuret, ut, quem sola voluntate coronat, utpote dignus non indigne videatur diademate redimiri atque superextolli regiae maiestatis apicibus.

Postulat virtus et consequentia rerum, ut hic veluti suo loco de gratia et merito disseratur uberius.

Tituli Tertiae Partis.

I. Late gratia dicitur et contractim, et quod nulla gratia gratia sit ingratis, sed eis omnia cooperentur in malum.
II. Nihil praemii reprobo de bono fit, sed tamen infligibilis poenae minus.
III. Ad quae nomen gratiae theologia contraxit.
IV. Donum simul idem invenis et mercedem.
V. Est donum merces, sed dicta civiliter, non civilis.
VI. Ad proportionem facultatis ethicae meritorum theologici merita nuncupant.
VII. Sancti meruisse dicuntur, sed et nubes et culpa. | 249
VIII. Quid in Christo meriti, quid in sanctis.
IX. Quid in nostro merito sit naturae, quid gratiae.

I. Gratia[1] dici solet, quidquid gratis datur, quod est libera voluntate liberaliter dantis et absque merito accipientis. Unde manus et ceterae partes hominis simulque naturae, cum quibus homo nascitur, aut ea, quae post ortum ad supplementum naturae donantur, ut capilli, dentes, plenitudo quoque membrorum et speciei, aut ad necessitudinem vel decorem, ut vestis et omnis ornatus et alia, quae extrinsecus possidentur aut quomodolibet habentur intrinsecus, ut scientiae vel virtutes, veri nominis gratiae sunt. Quae quamvis forte verius ita dicendae videantur in reprobis quam electis, qui quodammodo mereri bona videntur, reprobi vero contra, quia tamen usu contrahente naturam duo in gratiae donativo conveniunt, ut gratiae nomen obtineat, liberalitas scilicet

22 IX *om. PS*

[1] Doctrina sequens scholae Gilberti Porretani est propria. Conferatur *Commentarius in epistolas Pauli* Cod. Paris. Nat. lat. 686 (fol. 34v); Guilielmi de S. Theodorico *Disputatio altera adversus Abaelardum* lib. 3 (PL 180, 322); Radulphi Ardentis *Speculum Universale* II (Cod. Vat. lat. 1175 I fol. 17v). Notentur etiam Isidori Hispaliensis *Sententiae* lib. 2 c. 4 (PL 83, 604 et Cod. Paris. Nat. lat. 3141 fol. 17); Petri Lombardi *Collectanea in epistolas Pauli*, In ep. ad Romanos c. 4 n. 17 (PL 191, 1376). A. Landgraf, *Studien zur Erkenntnis des Übernatürlichen in der Frühscholastik* (Scholastik 4 [1929] 16 ss.).

conferentis et gratitudo recipientis, gratiae impiorum potius dicuntur ingratiae, quia gratiarum nomine per ingratitudinem exui meruerunt. Non enim his locupletes pro earum dote munificentiae largitoris se gratos exhibent, sed ingratos. Plerumque bona faciunt, ut ita de illius credantur esse collegio, et tandem, pro nefas, evacuando pactum irritant fidem. Quo fit, ut eis omnia cooperentur in malum, sicut *electis omnia cooperantur in bonum*[1]. Non quod omnia malorum mala sint, sicut nec omnia bonorum bona sunt, sed eis sunt vel ad malum, vel ad bonum. Laudabitur iustus, quia captus ad suos valenter resiluit. Arguetur impius, quod ignavus et hebes ultimae captivitati non obstitit fueritve post omne foederis iterati memoriale foedifragus. Quotiens cecidit iustus, hostili calliditati subcubuit, sed viriliter subinde nisus magnanimiter invaluit et prudenter evasit. Sunt igitur ei lapsus occasio victoriae, materia laudis et causa triumphi. Quotiens autem per virtutes aut opera stare visus est impius, veritatem fidei conditori suo rerum lingua spopondit seque illi quasi principi miles quodammodo confoederavit et in signum foederis opera constituit et virtutes. Quia vero conversus est in die belli[2] nec summopere nisus est, ut hostiles effugeret manus, non immerito illi ad titulum deceptionis operis boni memoriale, quo de mendacio convincatur, opponitur et ita poenam mentientis incurrat. Quem in modum fiunt ei virtutes et opera causa damnationis, argumentum iusti supplicii et inevitandae mortis occasio. Non quia, quod bona fecerit, puniatur, licet omnibus Dei bonis male utatur malus, sed quia, quod bona non pro eo, sed contra eum testantia probant, Dominum suum hostibus non legitime reluctando fefellit.

II. Habet autem quaestionem, an mitius sit reprobis, ut dictum est, propter opera misericordiae, quae fecerunt, an minime, sicut inde praesumitur, quia sunt eis damnationis occasio. Proclive autem erit huic et de compendio responderi, quia minus utique deliquerunt tali fallacia, qua sibi solis noxii sunt, quam neglectu miserationum, quarum electi sustentaculis in itinere fulciuntur. Adoptionis equidem filiis et non sibi sunt, quos forte, si necessaria non illis exhibeant, sic adurgeant labi secum praecipites ad rerum loca poenalia. Acrior igitur ultio tali neglectui quam fallaciae debetur, cum, quamlibet in adoptione pusillus, sit tota proscriptorum factione praestantior.

III. Ad virtutes autem et specialiter electorum nomen gratiae theologia contraxit, quia manifestius in ipsis effulget ad hominem divinae propitiatio bonitatis. Per eas enim sibi hominem reconfigurat, homo autem in se quidem et super coruscantia divini vultus conspiciens signa suo fit conditori devotior. Quo pacto congrue satis et perapte

20 pena *PS*

[1] Rom. 8, 28. [2] Ps. 79, 9.

dicitur gratia, quoniam utrimque grata. Nam gratus accipienti Deus, et gratus Deo, qui accipit. Liberalis Deus est dando, liberalis est et homo reddendo.

IV. Amplius autem et aeterna vita gratia dicitur, cum sit *gratia pro gratia*[1]. Quod si gratia, tunc donum. Si vero donum, quomodo merces[2]? Et si merces, quomodo donum? Adversari sibimet civiliter ista videntur. Debetur equidem merito merces et redditur; donum vero merito non respondet. Nam, si quid donatur, non redditur, et, quod redditur, non donatur. Redditur autem. *Reddet*, inquit, *Deus mercedem*[3]. Unde colligitur non donari. Ex opposito autem, cum sit gratia, colligitur et non reddi. Quid ergo? Si virtutem verbi, quod est *gratiam pro gratia*[4] et *reddet Deus coronam iustitiae*[5] propensius insistamus et perscrutemur interius, ut in contemplatione dictorum causa, non casus obtineat, quae latebrosa videtur et inextricabilis quaestio, nullis intricaturis latebrarumve cuniculis postmodum inhaerebit. Paulisper igitur advertamus non dici coronam iusti, sed coronam reddi iustitiae. Hoc autem, ut intelligatur Deus non merita nostra, sed gratias et sua munera coronare, dum non humanitati, sed iustitiae vitae corona sit consequens. Expedit enim talia subiecta sint, qualia praedicata voluerint, ne commoditas elegantiae praedicamento non reddito causae fatiscat. Commodius enim dicitur ‚species Priami digna est imperio' quam ‚Priamus'[6]. Restaret enim quaestio et nuditas inornata. Similiter et dicendi vitatur prolixitas et consequentia rerum servatur magis, si dicitur: ‚sapientia Ciceronis domuit Catilinam', quam si dicatur Cicero domuisse. Restaret enim quaerere, si casu vel dolo an virtutis arte domuerit. Advertamus etiam cautissime dici gratiam pro gratia, quia, quem modo gratis divina bonitas iustitiae carismate locupletat, gratis itidem in futuro corona beatitudinis decorabit. Praeterea non ubique redditio meritum voluntatis respicit aut gestorum, cum et similia similibus et causis praedicamenta reddantur et bona pro malis et econverso.

V. Mercedis itaque divinae redditio non iuris urgentis est, sed ordinis non fallentis. Talis redditio donari non impedit neque donatio reddi, quin sit, quod redditur, donum et [redditur], quod donatur, et merces. Tamen in verbis humanis sensus habeatur divinus. Nam et quandoque latuit in peregrino divinitas et veritas in figura. Et, quemadmodum, | 25
nisi me deludit opinio, fuit a regia maiestate, quam divinitas adaugendo per tempora longaeva conservet, nobis coram positis elegantissime recensitum, Christus fuit in forma servi, non servus. Sic typicus aeneus serpens fuerat pridem in serpentis forma, non serpens. Quare lingua

[1] Joh. 1, 16. [2] Rom. 11, 6. [3] Rom. 2, 6; 2. Tim. 4, 14. [4] Joh. 1, 16. [5] 2. Tim. 4, 8.

[6] Exemplum hoc invenitur etiam in Simonis Tornacensis *Quaestionibus* (Cod. Berolin. Philipp. 1997 fol. 79).

civilis non ubilibet est civili subdenda iudicio, sed, cum ad divina rapitur, maioris est inquisitionis examini committenda. Giganteo siquidem modo theologia curvatur, ut erigi possit humanitas. Caelos inclinat et descendit, ut ad caelestium secretorum conscendamus arcana. Coutitur nostris, ut quasi convictu provocemur ad sua. Sit itaque donum merces, sed dicta civiliter, non civilis, quoniam sicut in ethicis, quamquam sub ratione disparili, mercedis et locum servat et ordinem. Cuius et in hunc modum seipsum, licet in omnibus gratum, caelestis pater dici voluit debitorem, ut videlicet militem suum redderet nulla titubanti diffidentia vacillantem nec ab incepto remissum finali perseverantia faceret ad sua promissa currentem. Debet ergo pollicitum ratione propositi, quo remunerare disposuit agonistam. Debet iterum iure promissi, dico autem non civili, quod suos laqueos ad mortales solos extendit, sed suo, cuius, immo, quod est liberaliter polliceri pro velle, et in solidum pollicita, sed liberalitate sola, persolvere. Et est, ut succincte dicatur, hoc debitum certitudo, quoniam incunctanter et pro certo reddetur, quidquid decrevit reddere veritas aut spopondit. Specialius autem praeterea dicitur et divina benignitas gratia, qua se confitetur apostolus esse, quod est.

Haec in praesentiarum de gratia. Nunc ad merita transeundum.

VI. Nullis opinor ignotum rationes meritorum ad ethicae seu politicae pertinere libamen. Paciscuntur miles et princeps; hic, ut tantum militet, ille, ut tanto remuneret. Antecedit meritum, consequitur et necessitate legitimae pactionis praemium et fit interdum praemio meritum pluris esse. Numquid et divino pluris? Absit, quia nimirum nulli nec multo magis omnes agricultorum labores sunt denario persolvendo condigni. Quippe civile praemium quantum est, illud immensum; momentaneum hoc, illud aeternum; hoc formidinis et maeroris, illud inaestimabilis securitatis et gaudii. Et, quoniam omnis potestas a Domino Deo est, nullius subiacet ipse potentiae. Amplius autem, age, discutiatur, quid in occidendo tyrannum mereatur lapis aut gladius, quid in limando lima vel calamus in scribendo? Existimo, quia non haec instrumenta, sed, a quibus moventur, censebit aliquid promereri. Nullimodis enim per se quidquam agunt, sed potius aguntur, ut agant. Sed dices non eiusdem esse rationis hominem, cuius haec, quod homo proprio spiritu, haec autem alieno quidem arbitrio moveantur. Probabiliter, inquam, obvias et tamen paululum attende, quod legitur: *Non est volentis neque currentis*[1]. Item: *Non estis, qui loquimini, sed Spiritus Sanctus loquitur in vobis*[2]. Adhuc autem: *Et lingua mea calamus scribae*[3], qui facit, ut faciam; *non ego, sed gratia Dei mecum*[4], qui et bene malis etiam omnibus

33 *fortasse* aliquis

[1] Rom. 9, 16. [2] Matth. 10, 20. [3] Psalm. 44, 2. [4] 1. Cor. 15, 10.

utitur. Qualiter ergo, quaeso, nostra, nisi detestanda sint merita, vero nomine sunt, quod dicuntur, nisi forte proportione veritatis moralium, quoniam similiter his in stadio militiae christianae bravium praevenit cursus et victoria palmam?

VII. Enimvero sancti meruisse dicuntur. Sed et nubes. Sed et culpa. Nubes, inquit, lucem mundi Christum suscipere promeretur. Et: o felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere redemptorem. Numquid ergo vel Christus absque repulsa nihil optabile meruit? Legitur, quia propter oboedientiam datum est ei nomen, in quo flectitur omne genu[1]. Sed eodem loquendi genere dici videtur Magdalenae peccata multa dimitti, quia dilexit multum[2]. Mihi enim utrobique causa proponitur, sed non Deo, quem non externae pepulerunt quidpiam agere vel intelligere causae. Nam etsi legatur cetera propter hominem esse condita, cavendum magnopere est quorumdam perinutile dogma, qui delirantes aiunt propter opera futura Iacob, antequam nasceretur, electum et Esau reprobatum, quod vel opinari penitus est profanum. Sunt itaque non impulsus merita conditori, sed nobis in signum. Eis siquidem, quae supermirifice Christus gessit in homine, ad perceptionem veritatis adducimur, ut credamus, quia Deus Pater aeternitatis ei genitura contulerit esse Deum et vitam se confitentium. Verumtamen aeternaliter datum in tempore dari dicitur, quia fuisse datum ante saecula pro tempore nobis innotuit. Ad hunc modum et rex terrae fertur hodie cuipiam militi contulisse castellum, quod iam dudum illi contulerat in occulto, cum id muneris hodie primum fecerit in populo divulgatum.

VIII. Nunc autem dimisso ancipiti concurrentium quaestionum praecise fatendum in solo Christo plenitudinem rationis fuisse merendi; in sanctis vero non plenitudinem, sed plenitudinis portiones, dum reliquo promerentes auctoritate careant operandi. Sunt etenim tria, quorum concursus exigitur in meriti ratione: Remunerantis maioritas, auctoritas operantis et disparitas generis[3]. Unde qui fieri potest, ut

[1] Phil. 2, 10. [2] Luc. 7, 47.

[3] Doctrina haec scholae Gilberti Porretani propria. Originem sumpsit ex Hilarii Pictavini *de Trinitate* lib. 11 n. 19 (PL 10, 413). Conferatur Otto Frisingensis, *Gesta Friderici* I (379); B. Geyer, *Die Sententiae Divinitatis* (26 et 80*); *Quaestiones* Clm 18918 (B. Geyer l. c. 27); *Commentarius in epistolas Pauli* Cod. Paris. Nat. lat. 686 (fol. 34v et 39v); *Quaestiones* Cod. Brit. Mus. Royal 9 E XII (fol. 88). Consulatur adhuc Rolandus Bandinelli (A. Gietl, *Die Sentenzen Rolands nachmals Papstes Alexander III.* [Freiburg i. B. 1891] 181 et Cod. Norimberg. Cent. III 77 fol. 163); Praepositini *Summa* (Cod. Toulouse lat. 159 fol. 226); Radulphi Ardentis *Speculum Universale* II c. 16 (Cod. Vat. lat. 1175 I fol. 19v); Stephani Langton *Commentarius in epistolas S. Pauli* (Salzburg, Erzstift St. Peter, Cod. a X 19 pag. 25); Odonis Suessionensis *Quaestiones* (Cod. Brit. Mus. Harley. 1762 fol. 144). — A. Landgraf, *Untersuchungen zu den Eigenlehren Gilberts de la Porrée*, 191, 200 ss. Idem, *Studien zur Erkenntnis des Übernatürlichen in der Frühscholastik*, 353 ss.

summus omnium parens aliquid mereatur, quo nullus est omnino praestantior? Quomodo Spiritus Sanctus, qui Patre nequaquam inferior? Christus autem et disparilitate assumpti generis Patre minor est et proprii auctor operis, Rogasne vero, quid meruit? Ecce, quod utique nondum habitum oboediens acquisivit, ut non cinerato corpore diluculo suscitari post triduum et immortalitatis gloria clarificari, quodque deinceps non inter omnia Deus, sed Deus super omnia firmiter ab omnibus crederetur. Est tamen hominis, ut perstrinximus, sed modo suo vitae gaudia promereri.

IX. Quaeritur a quibusdam, quid in nostro merito sit naturae, quid gratiae. Reor autem, quod agendi potestas et potestatis actus, agentis officium et finis debitus actioni. Horum duo prima sine reliquis meritum sunt poenae, non praemii. Solum namque bonum tendit ad praemium nec est bonum fine praemii, quod non ratione tractatur officii, aut si finis, non actoris, dico, sed actionis gloria vacuatur. Rursus eorumdem primum naturae est, quia natura posse dedit, non etiam facere. Secundum voluntatis, quia voluntas facere quodammodo confert, perficere vero non invenit[1]. In residuis autem inest dono gratiae praemiabilis facti perfectio. Neque naturae dixi primum, placiti vero secundum, quin sit gratiae totum, sed quoniam absque ceteris omnino sunt nihil ad gratiam.

His limitatis sequens paginula solvet, quod de necessitate provisorum 0 v | fui vestrae serenitati pollicitus. In huius namque materiam per interloquium sumptae disputationis, si recolere vultis, incidimus in audientia gloriosissimi nostri domini semper triumphatoris et magnifici regis Guilielmi[2], cui perpetim vita, victoria, salus et regnum in eo sit, qui regibus dat salutem.

Tituli Quartae Partis.

I. Necessario evenire provisa, non tamen ut stoici sapuerunt.
II. Sub absolutionis umbraculo ratio conditionis obtegitur.
III. De necessitate conditionis et simplicitatis.
IV. Sensus, non sermo fit crimen.
V. Vasa fictilia verba prudentiae.
VI. Esse provisum et non evenire, quis insimul ista coniunxerit?
VII. Si meus oculus eo casu nequit eludi, qua ratione divinus.
VIII. Cur inevitabile prohibeatur.
IX. Necessitatem simplicitatis ita distribui.
X. Impossibilitatem dividi seiunctione tali.
XI. Immortalitatis significatio multiplex.
XII. Quid pax et beatitudo piorum.

[1] Rom. 7, 18. [2] Guilielmus I, rex Siciliae (1154—1166).

XIII. Praeviis consequentia cancellatim.
XIV. Qualiter immortalis homo vel angelus atque Deus.
XV. Mori quoque non potens extitit Adam ante casum.
XVI. Quibus homo rationibus anima quoque dicitur immortalis.
XVII. Quibus rebus mortis nomen insideat.

I. Innaturale nimis est et mirabile satis ac super, quod vetus de providentia divina quaerela cotidie iuvenescit. Aristoteles[1] enim contra Stoicorum nubilosam invectus phantasiam irrefragabilibus astruit argumentis non passim omnia necessitatis eventu contingere, alioquin utrumlibet, casum, naturae facilitatem, libertatem mentis et consilia deperire. Id itaque iam sepultum et antiquitus confutatum dogma fit redivivum, si vel cuncta necessarii laqueis innodari defenditur vel Dei providentiam falli. Plerisque siquidem eruditissimis viris atque alias recte philosophantibus mentem illud caligine deviationis obduxit, quod absque devio pronuntiari solet erroris provisa quidem necessario evenire. Hinc etenim ab ipsis in id proceditur, ut non esse non possint quaelibet haec provisa, dum omnia provisa contingere necesse sit. Cui procul dubio consequens est nullum posse devitari, si provisum est fore, periculum vel facinus vel errorem. In cassum ergo contra impetum hostilitatis armamur vel consiliamur adversus incommoda. Nec quidquam per industriam aliquid attemptatur, si violentia necessitatis universa inevitabiliter amministrat. Otiosa est exhortatio, prohibitio nugatoria, superflua quaeque praeceptio. Legum et canonum instituta patenter iniqua sunt, quae excessus inevitabiles ulciscuntur.

II. Sentiet itaque non indiscreta discretio, cuius est non ubere, sed expresso refici lacte, quod sugitur, quia sit, ut ita dicatur, in praenotato capitulo fodiendum, ubi sub absolutionis umbraculo ratio conditionis obtegitur. Non enim est ea propositio syllogistica, sed localis. Siquidem in illius integumento duae sunt propositiones implicitae, appositiva una, altera absoluta de appositiva pronuntians, ut, si provisa sunt, evenient, et haec est necessaria. Quemadmodum igitur in officina fabrili reperiuntur instrumentorum haec quidem militis, ut lancea, gladius et lorica, illa solummodo fabri, ut malleus, incus et forceps; sic et in artium documentis est enuntiationum haec quidem syllogistae, ut: ‚animal omnis homo', illa dumtaxat opificis, ut: ‚necessario animal, si est homo'. Huius nempe necessitatis ratio consequendi, non consequentis est. Consequentiae facit, non parti conditionis. Ad instruendum quoque, non astruendum, sumitur huiuscemodi complexum, quoniam suppellex est doctrinae, non certaminis instrumentum, licet amminiculum certatori. Nam et propugnacula, quae non sunt arma campestris agonis aut ludi, crebro fiunt validioris praevalentia muni-

[1] Boethius, *In Libr. Arist.* Περὶ ἑρμ. Rec. C. Maiser I 10[29].

menta subsidii. Unde non est syllogisticum, sed locale, dum in se contineat: ‚animal est, si homo‘, et hoc est necessarium.

III. Necessitas enim alia conditionis, ut haec; alia simplicitatis, ut: necessario moveri solem; alia utriusque, ut: si quid est sol, moveri necessario. Haec porro necessitas est et consequentis et consequendi. Verum et in hoc et in illo, quod est necessario moveri solem, necessitas ad conditionem suppositi fertur, sicut et in ‚necessario frigere glaciem‘. Quasi quamdiu, quod hoc dicitur: glacies est. Sin vero dixerim necessario vivere, quod est vivendi primordium, supervacue vis ulla conditionis adicitur, cum sit omnifariam haec necessitas absoluta. At et in ‚rosa flos est‘, rositati redditur floritas, rosae autem, sed ex suppositi conditione, confertur. Latet enim sub absolutione conditio semperque debitum naturae promittitur, non praesentia veritatis adiecti.

IV. Prohinc non est amatori sapientiae sensus, quem verba faciunt, sed potius, ex quo fiunt, praecipue vestigandus. Constituit enim, qui dicit, intellectum et, qui audit, quiescit. Ea enim, quae sunt in voce, secuntur ea, quae sunt in anima, idemque cum illis et ex illis ratione consortii subeunt veri falsive iudicium. Ideoque prima virtus est respondentis, mentem interrogantis, cuius est determinare, cognoscere. Cum enim sit oratio non nisi secundum accidens vera vel falsa, qualis in anima sit opinio, quam sequitur, ut sit, non dico, vera propositio, sed propositio vera, non inerter est primitus indagandum quam de qualitate iudicetur oratio. Unde satis illud est apud Hilarium elegans: sensus, non sermo fit crimen[1]. Nam omne dictum, ut dicatur, ex causa est, et dicti ratio ex causis est assumenda dicendi.

V. Vasa quippe fictilia verba prudentiae sunt, ubi sensuum aroma
51 reconditur, cuius odor et affectanti salubris est et horrenti nocivus. |

VI. Sic igitur a praemisso capitulo fallaciae reclusa caligine per ipsum Aristoteli non peccatur neque divinae providentiae fallax contingit elusio. Prorsus utique falleretur, si, quod futurum providet, non eveniret. Sed impossibile est esse provisum et non evenire. Quis etenim ista coniunxerit? Aut quod arbor reproba sit et digne fructificet? Potest tamen non contingere, quod continget, ut crastini diei navale bellum, quod certe potest aut praepediri ventis aut pace sopiri aut pactionibus indutiari. Potest et econtra contingere, quod non continget, ut hodie ridere, qui non ridebit, et ambulare, qui non ambulabit. An

---

[1] Non potui invenire hunc textum quoad verba in operibus Hilarii Pictavini. Notetur tamen: *De Trinitate* lib. 8 n. 38 (PL 10, 231): „Sed forte intelligentiae sensus in crimine sit.“ — *De Trinitate* lib. 4 n. 14 (PL 10, 107): „Intelligentia enim dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus.“ — *Tractatus in 118 Psalmum* Litt. 22 n. 2 (PL 9, 640): „Omnis autem sermo hominum ex sensu cogitationis initur ac motu, ubi ad aliquid enuntiandum mota mens nostra id, quod in affectum sibi insederit, per verba declarat.“

forte propterea divinus internubium patietur intuitus? Numquid simul ambulas et non ambulas, cum vel ego te ambulare conspicio? Esse vere nullo modo potest. Sunt enim alterna contraria, non coaeva. Simul potes utrumque, sed nequis utrumque simul. Nam esse possibilia simul sunt impossibilia simul esse, quoniam simul insunt potestates impossibilium esse simul.

VII. Cum igitur humanus obtutus nequeat in huiuscemodi conspicientia falli, qua frustrabitur elusionis arte divinus? Age, sit quisquam in bivii radice viator optionem habens viarum ‚utram velit eligere' sitque super eum contemplator in specula. Carpat itaque viator utramvis, quia speculatoris oculus in neutrius electione vel processu falletur. Provisa ergo necessario et non contingent. Necessario, quia ratum est evenire, si praescita sunt ad eventum. Non necessario, quia non omnium provisorum immobilis est eventus. Quocirca summi conspicientia prospectoris non omnibus necessitatem rebus contingentibus infert, ut omnia, saltim quae opposita valent, necessitate violenta, quamquam certa subsecutione contingant.

VIII. Dices ergo: Si omnium futurorum est Deo certus eventus, utquid aliqua prohibet ipse, ne fiant, et ea maxime, quae sunt impossibiliter non futura? Sed respondendum, quod evitabilia prohibet, ut, cum evitata non fuerint, vel iustitia punientis appareat vel insufficientia virtutis humanae. Quo sic ab auctore sufficientiae homo sufficientiam cum omni humilitate cordis imploret. Inevitabilia vero, quod sunt concupiscere vel irasci, ut, cum devitari non possint, quid potentiae per inobedientiae culpam homo perdiderit, recognoscat et ita de suis viribus non praesumat, sed ad auctorem potentiae potentiam devotissime petiturus recurrat.

IX. Fit autem simplicem necessitatem ita distribui, ut sit immutabilitas vel naturaliter inexhausta vel perpetim consueta vel opinabiliter non mutanda vel in aeternum supernae decreto sententiae permansura. Unde sic liceat exemplari: esse necessario Deum, moveri solem, adiudicatum flammis exuri, iustos sine fine gaudere. Consuetudinis vero necessitas illa continuat actum, ut solem currere. Haec astringit eventum sive tempori determinato, cuius est oriri solem, sive non certo, cuius est hominem mori. Hac tota natura movetur et amovebitur actu. Opinionis autem et actu solet. Quae vero est sententiae, incessabilis est.

X. Sequitur autem e vestigio necessitatem impossibilitas ad praevisarum singulas stationum, ut impossibile sit vel obvium divinae potentiae vel cursui consueto contrarium vel mutationi difficile vel divinitatis aeternae sententiae discohaerens, utpote: non esse Deum, non moveri solem, non addictum flammis incendi, non iustos sine fine laetari. Huic

35 Hac] Haec *P*

postremo generi pertinere videtur ea, quae fidelibus est immortalitas affutura, qua, sicut inhaesitanter et vere dicitur, resumptis amictibus carnis nequaquam poterunt mori ultra.

XI. Arbitror autem illud hic praecipue subnectendum, quia non expedit quasi notum taciturno silentio praeteriri, quod immortalis videatur integra significatio trina, scilicet: non mori potens, mori non potens atque aliter, unde post. Prima fuit Adam immortalis. Erit autem et secunda. Est vero Deus et angelica natura. Sed interest, quia nullatenus immortalitas creatoris subiacere valet occasui. Angelorum vero, quia nihil unius est termini, potest nosse defectum. Adae quoque cedere morti poterit, quoniam quidem et ipse nihilominus perenniter erit natura solubilis, etsi per gratiam non resolvendus omnis etiam detritionis perpetuo consistet ignarus.

XII. Quoniam ergo suo taliter erit conditori consimilis, asseverare divina pagina consuevit, quoniam immortalis. Non quia permissus mori non possit et stimulorum diversimode cruciatibus affici, sed quia voluptatis paradisiacae torrente potatus ab omni molestia sine fine prorsus erit immunis. Quod verae pacis est utique donum, siquidem pax esse diffiniatur sedatio litis, absentatio laesionis, interclusio damni, privatio doloris, amotio cuiusque molestiae. Quapropter erit incessanter et necessario immortalis nec iam ulterius corruptione vel molestia moriturus, habens totum, quod velit, nihil habens, quod nolit. Quae quidem vera pax est et beatitudo sanctorum et statui mortalitatis ignota. Nisi quia per contractum nominis, etiam in tunica vetustatis iusti beati dicuntur, dum et dissolvi cupiunt et per aditum crucis ad sponsum cum iocunditatis epithalamiis intrare desiderant. Noluntas enim angoris et molestiae miserum facit, aequanimis tolerantia nullimodis infelicem. Per excessum quoque beati dicuntur, quos labor hominum fugit et flagella non tangunt, quîs fortunae vultus arridet et nihil offensionis importat.

XIII. Nec praeterea necessario sol calere vel ignis, nix frigere vel glacies dicitur omnipotenti divinitatis interclusa potentia, cui facillimum est consequentia praeviis reddere cancellatim, sed quia non id esse desinere vel in simili notuerunt, quod indesinenter cursu retinent indefesso.

XIV. Fuit igitur Adam immortalis, quia non mori potens. Erit, quoniam et mori non potens. Deus autem est et impotens mori, cum sit dedecens, immo prorsus impossibile simplicitatem divinitatis, quae in se ipsa manens innovat omnia, quomodolibet senescere posse vel innovari. Immortalitas ergo divina triplici consideratur intuitu, cum sit omnipotens non mori potens et mori non potens et impotens mori.
1 v Dico | autem mori non potens, quia nulla potentia moriturus. Cui contra fuit Adam. Impotens vero mori, quia nulla resolvi nec laedi, nulla

denique mutari potentia potens. Angeli vero contra, quemadmodum dictum est.

XV. Mori quoque non potens ante ruinam extitit protoplastus, nisi lignum vetitum surripuisset.

XVI. Videtur autem et anima, quibus homo, dici rationibus immortalis, sed in utraque contractim, dum non eam partium iunctura compegerit. Et idcirco non sic mortalium immortalis est anima, quod omnimodo nescia sit mortis, sed quam habeat ex integritate compaginis aut undelibet substantiae pereuntis.

XVII. Mors igitur est resolutio, molestia similiter et naturae decessu mutatio. Est autem mortalitatis consequens et genus hominum immortalitatis dote nudavit. Contingit hic etenim, quod in paucis, privationem habitu et habitum privatione determinari. Immortale namque suae nota significationis et radio potentiam non moriendi designat. Impotentiam vero mortale sitque forte necessitatem, unde valet et habitudinis dici nomen. Privatorium vero contra, qualiter et, ut superius, impotens, cuius est potentia nulla vel possibili vicissitudinis obumbratione mutari.

Explicit ad Maionem.

DE VERA LIBERTATE.

Laborantis ad Hugonem Panormitanum archiepiscopum.

I. Imaginariae praeconium libertatis et verae.
II. Quid idolatria sit, quae dicantur idolum et cur idolum nihil.
III. Antiquis in idolatria praeponderare modernos, et quod ubique Deus et ultra.
IV. Non nunc esse Deum, ubi quandoque non fuerit.
V. Videri subesse Deum loci accidentibus inchoasse.
VI. Utilis est electo lima tyrannidis, si tamen ad arcem fugiat deitatis.
VII. Quid politicis sit libertas, et ad quid petitur, quod habetur.

De vera libertate.

I. Supereminentis ac verae simulque felicissimae libertatis exculpere notionem et videre subtextis apicibus ea quidem mihi nec paululum persuasit, quae non utique libertatis est plenitudine vera libertas, sed portionem plenitudinis obtinens umbra vel umbratile signum aut velut imago verae dignoscitur libertatis. Et est plurifariae sectionis. Naturae siquidem esse cernitur et dominii multiplicis utique non nescitur. Scitur et praeminentiae, sed ad quam nimium prorsus anhelat ancilla cupiditas. Est et praeterea lucis, quae ceteris generosior, cupiditatem proculcanti dumtaxat est addicta familiae. Ad imaginariae quippe libertatis huius equidem vel illius obtentum summopere nititur et contendit pene quaelibet in climatibus orbitae mundanae sensibilis naturae progenies. Hoc animalium gressibile genus, hoc aeris animal, hoc insuper et aquigenum pecus in hodiernum perpetuatae firmamento consuetudinis astruit. Pisces equidem, ut liberioris amfractibus undae fruantur, a lacunaribus exuberantis opulentiae sponte resiliunt in aequorei quamquam remissioris gratiae pelagi vastitatem. Caeli quoque volucres illae, quas exactissima curiositatis humanae diligentia tenere satis et accuratius confovet et tuetur et educat, largifluae manus et curae sollicitae sunt aufugere possessorem, ut, etsi commoditatis affluentia sint cariturae, tamen spatiositatis aereae campos obtineant gratiores. Ad haec autem et gressibilis differentiae beluae, quas seu domesticus edidit partus seu lustra protulere silvarum, ultro fugiunt hominum peruberis alimenta praesepis, ut qualibuscumque saltim valeant libertatis alimentorum pabulis exhiberi. Ratione vero degentia, cum trahat sua quemque voluptas, nullus ambigit libertatem cunctis

opibus anteferre. Ideo namque regnum unius gentis a regno gentis alterius sequestratur et propugnaculis communitur et armis, ne sua voluntas alienis possit legibus impediri. Propter idem in regno fit urbium sed et circumsepta muris et aggeribus vallata pluralitas, fit in urbe domorum numerus et in domo partitio mansionum. Hoc pro certo libertatis efficit amor et diversitas animorum. Quot homines, tot sententiae; suus cuique mos est. Et quia vix invenitur, qui careat libidine dominandi, vix occurrit, qui non careat desiderio serviendi. Cum itaque sit omnibus insitus et innatus amplexandae libertatis affectus adeoque praeferenda sit conditio libertatis et favorabilis universitati mortalium, ut et Romani retro superstitionis ethnicae principes et tota gentilitas nobiscum unanimiter asseveret et censeat posse libertatem nullimodis aestimari, eruntne, qui sese meditationi philosophicae dedunt, quin potius inspectioni divinae, viri divitiarum et non, quorum divitiae sint virorum | 25 possessores, immo possessiones ovium gregisque porcorum et armenti vaccarum atque thesauri sollicitudine servili et miserabili formidine cruciantis iugiterque suis amaritionibus punientis? Affectio nempe formidinis non minima videtur species esse poenarum. Poena quidem genitiva causa doloris est. Dolor autem est origo tristitiae. Tristitia virentis est demolitio iuventutis, exterminium sospitatis, incolumitatis evulsio, iocunditatis et vitae pariter intempestiva contra velle praereptio. Quid, inquit, ei mundi totius est conquisitio, cuius ob id animae fiant irremissa dispendia? Animam integrari potentiis, adornari virtutibus, radiis illustrari prudentiae, iocunditatis irriguo tamquam viriditate nutriri, vegetari quidem, adaugeri etiam et habitudini conservari nativae, quis philosophiae non tener alumnus cogitatione ducat ambiguum? Nec vero dubium his peremptis animam quoque vel ex toto perimi vel ex parte foedari vel caeca fumositate caligantis oblivionis obduci vel maestitiae deformari simul et arescere siccitate. Fit antedictarum morsibus passionum haec lacerari penitus et discerpi, discerpta deteri, detrita consumi, si consumpta sint, hominem pecoribus quamquam similem non aequari. *Cum enim esset in honore, non intellexit, iumentis insipientibus colla subdidit et conformatus est illis*[1], non qualia iam sunt misero, cui pro pudor praesunt et quem premunt, sed qualia pridem fuerant, dum subessent eiusdemque dominio tenerentur. Non in modico fuit dignitatis honore genus hominum, quibus est prae ceteris animantibus rationis et scientiae lumen infusum, imago divinitatis impressa et generalis imperii cum libertate sub caelo collata potestas. Ait enim illis auctor: *Dominamini piscibus maris, volucribus caeli*[2], bestiis agri *et* possidete terram. Quasi: Dominemini animantibus, non vobis animantia dominentur. Terram possidete; numquam vos terra possideat.

[1] Psalm. 48, 13. [2] Gen. 1, 28.

II. Pestilentium haereseon Sabellii atque Pelagii radicitus extirpanda, quoniam ipsis etiam elementis iniuriosa, professio funesto suo nomini deperivit, earum tamen adhuc malesanae mentis oculos aliquibus caeca perturbat amentia. Professioni cecidit nomen idolatriae, sed illius et nunc propemodum usquequaque debacchatur impietas et impudens principatur insania. Idolatria quippe divini cultus est ad creaturam translatio. Dico autem non ad eam modo, quae delirae consuetudine vetustatis idolum nominetur, ut Dagon et Baal, sed quamcumque ratio nominis veraciter amplexatur. Attamen sicut idolum idolorum cupiditas erat olim, ita esse videtur et nunc. Ei namque primitus ab humanitatis errore defertur, ut non, quod auctor bonorum et universitatis opifex, aeterna, cunctipotens, optima bonitas et immensa beatissimae Trinitatis et indivisae maiestas indicit, sed illud mancipetur effectui, quod in perniciem ipsa prescribit. Ea vero dictante mox aeternae substantiae superfertur possessio creaturae labentis. Ad haec autem, ut valeat, quod est labile, possideri, non a pia divinae potentiae largitate, sed ab impotentia creaturae bestialiter et insensate deposcitur. Primum igitur idolum est cupiditas. Secundum, quod concupiscitur. Tertium, a quo usurpatione sacrilega speratur et petitur concupitum. Huic idolorum tertio paganorum saeva dementia prisco tempore blandiebatur et reprobo dicebat sensu: ‚Tu es Deus meus'. Eidem pro nefas, si non carnis, lingua tamen intentionis et facti multa pars christiani quoque nominis eundem malignitatis errorem videtur et hodie profiteri, dum videlicet spes eius vel in hominis auctoritate confidit vel divitiarum sese commendat effluxui vel de marcescibilis carnis agili virore praesumit et dicit: ‚Tu mihi numen es, ensis mihi numen est, divitiae mihi numen'. Hoc idolum carnis concupiscentia fabrefacit et constituit illi Deum et, cuius auctrix et opifex caro carnisque cupiditas est, sibi suum mendaciter arbitratur, manu facit aut lingua dicit auctorem. Dumque desideratis inhaeret et in eis quoque nanciscendis vel quaesitis a Domino cor recedit, quoniam plus Deo coluntur, tunc erigitur profecto, quod secundum nominavimus idolum. Idolum vero primum, etsi cupiditas, concupiscentia, pravum desiderium, mala voluntas dici possit et illicitus appetitus, tamen concupiscentiae spiritus illud est et vir idolatra. Idolum tamen, ut legitur, nihil est. Sed et a caritate vacui similiter nihil, et quidem obtentui praemiorum. *Neque vero, qui plantat neque qui rigat, est aliquid*[1], auctoritate scilicet incrementi. Rerum quoque, sicut et legitur, aliae sunt, aliae non sunt. Res sensiles ipsae sunt, aliae vero, sed utique sensui, nequaquam sunt. Aliter autem, quae mathesis speculatur, sola quidem, sed propriae immutabilitati substantiae sunt, et quoniam omne esse ex forma est[2], non nisi subiecta, sed concreatis sibi formis utique sunt. Est tamen et forma, sed ut

[1] 1. Cor. 3, 7. [2] Boeth., *De Trinit.* c. 2. PL 64, 1250 B.

similitudo; species est et genus. Solus quoque Deus est, sed immensitatis interminabili permanentia et omnimoda simplicitate naturae vel, quod entibus universis essentiam subministrat. Idolum ergo nihil est, dico autem remunerationi vel muneri. Amplius autem nihil, quoniam et, quod aliquid esse videtur ad meritum, esse nihil omnino facit ad praemium. Sive, quod esse dicitur nihil, hoc non de formata materia neque de innata materiae vel impressa per artificem forma dicitur, sed de illa quidem potius, unde idolum nominatur. Sic et vere dixeris: caecum nihil est. Nihil enim est caecitas. Unde et habere caecitatem non est habere aliquid, sed debitum de habere naturae. Et esse caecum non est esse aliquid, sed est non esse, quod deberet esse nec est. Quod si conversim dixeris: „nihil est idolum", sit, quia vere nihil est formatum vel materiae forma, cui latria debeatur et, quem theosebiam nominant, Dei cultus.

III. Utrum vero moderni temporis aetas in abominationibus idolorum antiquitate delinquat atrocius et an veritatis lumine circumfusi magis excedant ignorantiae caligine tenebrosis, an nocte dies et praelatorum lux tenebra subditorum, non est non scibile scitu. Sed est super valde mirabile mirum, quod iniquitas haec egreditur a senibus sensatisque iudicibus, qui videntur mundi rectores, nisi quia propter peccata populi principari facit Deus hypocritas, ut sit virga furoris illius Assur et per ministerium iniquitatis sese transfigurantis in angelum lucis ad se ipsum filios abalienatos reducat, cum ab eius spiritu, qui terram palmo concludit, neque ad orientem neque ad occidentem neque ad superos neque ad inferos locum possint invenire suffugii, sed ad eum | 252 solum, qui per incircumspectam sui praesentiam totus et integer omnibus est in locis, quoniam locus omnis in ipso est omnibus illocaliter locis infuso. Non circumscribitur, non ad circumscripta contrahitur. Solum corpus conclusione suae circumscribitur quantitatis. Tamen et spiritus, sed creatus, dicitur circumscribi, quod ad causam dici videtur, quoniam circumscriptibile non excedit. Ceterum neque sic circumscriptibilis Deus est. Omnis autem creatura vel sic. Quoniam autem in omni loco Deus est et ubique, unde et nusquam, non erit in loco scilicet uno, sed omni. Nec in omni tantum, sed ulterius omni. Nec tamen in loco est, qui ulterior aut alius sit ab omni. Sed dices ulterius significationis esse localis. Ad quod dicendum, quod huiusmodi, quae sunt in voce, nonnumquam theologiae veluti contractus ita etiam mutare consuevit excessus, ut non sub ferula Prisciani, non sub puerilis coercione crepundii custodiat temporum metas, non claustra locorum, sed fines omnes et terminos immensitatis exuberatione transcendat, ut et cum dicitur: „ante omnia saecula" atque: „in aeternum et ultra".

---

10 de] *fortasse* non

IV. Dices etiam in loco nunc esse Deum, ubi nudius tertius ipse non fuerit, ut in spiritu creato nuperrime, unde videatur immutabilis vel accidente loci mutari. Dicendum similiter et ad hoc, quia sex omnino renitentes invicem differentiae sunt locorum: ante, retro, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum. Quoniam ergo mundus rerum universitas est, quidquid accidentis categoria complectitur Ubi, procul dubio neque mundi septa transgreditur neque mundi non conseritur universo. Caelum et terram et, quidquid illis est medium, suae natura substantiae Deus implet. In mundo toto Christus erat, quando venit et antequam veniret in mundum, et malefaustum est umquam toti credere defuisse, quo solo quidem esse totum constat esse, quod est. Ubi ergo novus spiritus est, ubi non esset divinitas? Non ante, non retro, non uspiam. Ergo numerus adauctus est localium, non locorum. Divinitatem in novo esse spiritu confitemur, non tamen, ubi quandoque non esset. Erat enim nec esse desiit, ubi nunc est et noviter conditus spiritus. Philosophicae quippe regulae veritas est singularitatem loci pluralitatem non admittere corporum, pluralitatem tamen incorporalium, quia tam spirituum quam naturarum, insimul aggregare. Et ut certa quaedam verbi causa ponamus, nec ullus abnuere cogitandus est esse nunc aerem in nube condita noviter; esse tamen aerem nulli dicunt, ubi non fuerit ante nubem. Aquam fluminis esse nunc in spongia flumine circumfusa fatentur omnes unanimiter et tamen diffitentur alibi flumen esse quam prius, dum nondum inhaeserat spongia. Alioquin flumen ipsum vel mutasse vel excessisse nemo proprium non diceret alveum et cardines suos aera. Videtur enim, quoniam, si quid est, ubi non fuerat, aut est nec ubi erat aut ubi erat excedit aut non erat et modo est. Et primi quidem in hoc disiuncto poterit exemplum esse viator, qui Remis ante fuerat et nunc est Romae, non Remis. Secundi fluvius, qui imbribus auctus per excessum, a quibus aberat, in vicinis est modo litoribus alveo non relicto. Tertii vero spiritus, qui nondum fuerat heri, sed hodie subsistit in corpore animalis. Quocirca non movetur localiter per temporum momenta divinitas, intra cuius immensitatis solo forte nomine locum atque ambitum, quaecumque subeunt dimensionis loci mensuram aut quaecumque non excedunt localiter mensurata, consistunt. Quare non est, ubi non fuerit, sed in quo non fuerat, Deus est, quandoquidem in novo spiritu, in quo tamen sicut in omnibus sibi possibilibus erat, antequam fieret spiritus.

V. Instabis adhuc et astrues Deum in exortu locorum subesse loci accidentibus inchoasse, cum nondum fuisset in aliquo, sed tunc fore cepit in eo, qui necdum fuerat, loco. Sed quoniam erat immensus, in aeternitatis natura non poterat esse mensurae geometricae particeps fierique localis aut usquam mensurabilium terminis consepiri. Sic ergo sic ubique fuisse praedicatur Deus et semper a chao, ut nihil umquam

temporum vel localium vel locorum esse potuisse vel posse fuisse credatur, nisi facientis et praesentis in eo toto divinitatis essentia. Nam, etsi qualicumque proportione, tamen rex aliquis esse dicitur in omnibus munitionibus suis tropo servato metonymiae, quoniam et eas esse facit et in ipsis consistere defensores.

VI. Ad hunc solum ab ipsius indignatione confugere tutum est. Non enim consumit in ira misericordiam, sed naturae benignitate placabilis invenitur in ira propitius et in tribulationibus oportunitatis adiutor. Secat, urit et in utroque sanat. Implet faciem suorum ignominia, ut inquirant nomen eius. Luxurioso filio porcorum quoque siliquas in medicinalia cruciamenta subtraxit, ut necessitate correptus mercennarius in domo patris esse cuperet et iumentum. Terra ergo datur in manus impii, quo flagella pii patris erudiant et per temptionis exercitia disciplina Domini doceat, ut, qui dormit, tribulis excitetur et surgat et infirmitatibus multiplicatis ad suffragia paternae miserationis acceleret. Nam, *dum superbit impius*, ad cultum deitatis ardore dilectionis ignescit et *incenditur pauper*[1]. Et considerans, quia *fallax* est mortalium *gratia*, *vana est pulcritudo*[2], nusquam tutus est locus, non fida securitas, non ratio, sed voluntas in causa factorum, color sanctitatis in scelere, deceptio falsi libaminis in stateris iudiciorum, veritas nonnullorum esca retiaculi subabsconsi et innocentia cavea fraudulenta nocendi, qui piscatorum instar et aucupum vel praedonum ad rapinam latentium in abdito secus viam ieiunant, ut saturentur, saccellis inopiae renuntiant, ut ditescant, contemptibiles videri cupiunt in melotidis et squalore saccorum, ut in religione sophistica vendibili paupertate populorum bona venentur, tamquam destitutus exundique meditatur, ut ponat in Deo spem suam et unum, quod singulariter est sperandum et solitarie necessarium, concupiscat. Spes enim, quae collocatur in homine, licet, ut poeticum sones, apta dea sit, instabilis est tamen et fallax. Quae vero collocatur in Domino, quia sit ignara fallaciae, non confundit. Non poenitudine mentem stimulat, non ut inanis et cassa reddit anxium, non praestigio verecundum, non phantasmatis umbra delusum, non erubescentiae passione pertaesum. Valet ergo praedestinatis ignis et vorago, fremitus ac lima tyrannidis, dum vexati scilicet a tribulatione malorum ad praelustris iugum libertatis desiderare coguntur. Quia namque nihil asperum diligenti, nihil est amanti dif | ficile, adhaerentibus Deo est vera caritate iugari suavitas 25 et ferre sarcinam mandatorum a caritatis iugo pendentium levitas. Est autem et in caritate iocunditas et in levitate libertas. Est in iocunditate vitae gaudium et in libertate licentia. Sed non ea putetur, quae, sicut ait historicus, in maximo imperio minima licentia est,

[1] Psalm. 10, 2. [2] Prov. 31, 30

libidinosae videlicet voluptatis, sed ea, quae voluptati seu libertati civium pertinet supernorum. Quam voluptatem pensius subtiliusque intuitus Epicurus eam esse privationem cuiusque doloris et omnis amotionem molestiae diffinivit. Unde et summum bonum eandem voluit nominari. Recte utique, quia nihil illi contrarietatis adiungitur, nullius ei consortio derogatur. Nescia defectus et abundantiae, totius autem est beatae sufficientiae perpetuo contentiva. Ad huius torrentem voluptatis desiderat licentia libertatis servorum Dei; ad hanc eorum servitus libertatis anhelat, ad hanc eorumdem libertas servitutis aspirat. Nam, quicumque Domino famulantur, ex ei serviendo servi illius sunt et ex voluntate serviendi sunt liberi. Utique libertate lucis, cuius sunt et philosophici quoque viri participes. Amplius autem et libertate gloriae, cuius species in *cor hominis non ascendit*[1]. *Spe etenim salvi sumus*[2]. Pollent etiam, quam profecto non polluunt, et libertate naturae.

VII. Et est naturae libertas, ut ex traditione Romani sumitur iuris, naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, nisi quod vi aut iure prohibetur. Non minima est in hac libertate licentia, non semitarum paucitas, non modica latitudo viarum. Licet, attamen cum sobrietate, cibus. Licent vestes et vehicula. Licet aurum et quidquid est usibus honestae necessitatis indultum. Licet virtus et intelligentia spiritualium et divinae voluntatis impletio, immo et necessaria sunt spiritui haec, sicut et illa carni. Cibus et sustentatio carnis res noscitur esse corporea. Panis et vita spiritus est intelligentia scripturarum et sacramentorum fidei atque divinae voluntatis impletio. Hunc panem, quia taliter nos salvator instruxit, iugiter expetimus ita dicendo: *Panem nostrum cotidianum da nobis hodie*[3]. Dum videlicet praesenti luce potimur, habetur iste panis et petitur. Non petit hunc suum sibique necessarium panem, qui nullo modo vegetatur hoc pane. Intelligit intelligentiam divini secreti divinaeque voluntatis efficientiam exposcendam esse, qui taliter eam exposcit. Non petitionis intelligentiam petit, sed intelligentiam petendorum. Iamiam intelligit petendum esse, qui petit. Habetur igitur hic panis ad gustum, sed poscitur ad saturitatem. Lex quoque divinae iustificationis et poscitur et habetur ab eo, qui dicit: legem mihi constitue, Domine[4]. Non equidem sine lege fit ista postulatio legis neque misericordia non praeventus dicit Domino: „miserere", neque non antea datus apostolis eis in Pentecoste tribui spiritus perhibetur, sed iam certe fuerat inchoatio muneris et tali die fuit impletio largitatis. Datus fuerat ad inhabitandum, sed tunc fuit datus ad inhabitata sufficienter et copiose replendum. Datur in sacramento baptismatis ad emundandum, in unctione verticis ad custodiendum, in confirmatione datur ad inhabitandum et ad robur agonistarum in lucta. Quis itaque nisi miser, quis nisi belua, quis nisi

[1] 1. Cor. 2, 9. [2] Rom. 8, 24. [3] Luc. 11, 3. [4] Psalm. 26, 11.

animal ventris ab alimonia spirituali velit averti? Tolerabilius est suum corpori cibum transitorium denegari. Melius est occisis gladio quam fame spiritualis intelligentiae interfectis. Adaeque miserum vel forte miseriorem eum quidem liberum deputant, quem in carcere corporalis fames affligit, quam servum illum, quem in voluntariis viationibus positum nulla prorsus vexat inedia. Miserior itaque dicendus et utroque servituti magis obnoxius, cui potior corporali suus victus violenter subtrahitur animae.

Tituli Secundae Partis.

I. De pravitate praelatorum.
II. Oratorum genera duo.
III. Cui cathedraticum sit deberi.
IV. Impudentia conscium, sed ignorantia tegit ignarum.
V. Suadetur filio diffidentiae, ne diffidat.
VI. De concupiscentiae meta cum varietate viarum.

I. Pervulgatae penes omnes esse credo sententiae, quod expetibilium etsi dignissimum sit, quod propter se dumtaxat expetitur, dignius tamen est, quod propter se et propter aliud, quam quod propter aliud tantum, qualis est victus corporis et vestitus et universa mundana possessio. Haec enim in usum veniunt, ut tamquam annonae temporalis et faeni viaticum ad virtutum semitam et iter prudentiae peragendum, magis autem ad obtentum referri debeant summi boni. Corpus vegetant, animam non illustrant, quin potius eam nonnumquam ab illustrando quadam immodestiae gravitate retardant et illustratam suis fumositatibus fuscant eamque, dum nimis oblectant, obliviosam sui reddunt et immemorem creatoris, ut scurrarum plausibus et mimorum et unctione venditorum olei doxam nominis, quo miserabilium aures inflantur, acquirat et animaliter subdita ventri non spiritaliter, sed carnaliter et in ipsis etiam spiritalibus ambulet. Neminem de principibus tango, ne titulus in me laesae pertonet maiestatis. Neminem privatorum, ne strepidus ebulliat iniuriarum. Sed in quibus habet id culpae regimina, singulos conveniat et tangat et pulset conscientia, qua iudice nemo nocens absolvitur. Tangat et compungat, sed eos maxime, qui sapientes in populo sunt et quorum forsan aliquibus clavus ecclesiastici regiminis commissus est et creditae claves intrandi, sed quemadmodum antiquitus quidam ex eiusmodi nec intrant ipsi nec alios intrare permittunt. Laetantur, cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis. More delinquentium puerorum, cum nequiter agunt, claudunt oculos suos, quasi nequeant ab aliis ipsi videri, cum | alios undique se videntes ipsi non 2
videant. Ad ultimum vero nec, si videantur, id curant, dum non frustra iaciant rete ante oculos etiam pennatorum. Conteret tamen altitonans

malitiae vindex bracchia perversorum et confundet in illorum astutia sapientes et discerpet truculentas fauces quorumdam furiae praelatorum, qui more latronum sedent in insidiis cum divitibus in occultis, ut perimant vel expolient innocentes, calumnientur innoxios, invalidos opprimant et ferinis hiatibus absorbeant imbecilles. *Dextera eorum dextera iniquitatis*[1], quoniam quidem ut sinistra sic est repleta muneribus. Eorum namque perversa iudicia pro munere mortificant animas, quae non moriuntur, et vivificant, quae non vivunt. Hii, si vident furem, simul currunt cum eo et suam ponunt cum adulteris portionem[2]. Item abominabiles et corrupti muneris interventu, quae sunt decernenda, decernunt. De talibus ad Ierusalem per Isaiam Dominus ait: *Principes tui socii furum, omnes diligunt munera, secuntur retributiones*[3]. Prudentiores equidem in generatione sua lucis gloriae praeparatis. Sapientes in arte calliditatis et astutiae sunt, ut faciant mala, bene autem nisi ad oculum et ad finem malitiae facere contempserunt. Spiritualia tamen nulli tribuunt nisi gratis, si tamen prius sint de pretio taxato firmiter et bene securi. Ovium pastores, immo depastores ovium sunt, quoniam, quas extimplo non devorant, sedula corrosione depascunt, sicut et post interitum mors ut inferni gramina depascet eos. Non enim sunt officii prosecutione pastores, qui neque debitae orationis neque compatientis et pastoralis ac piae conversationis neque sanctae praedicationis alimonia gregem sibi creditum pascunt. Trina siquidem vice Petrus et in Petro unusquisque sacerdos audivit a Domino: Pasce gregem meum[4]. Nunc autem adhaesit lingua palato, factus est sacerdos ut populus et, quemadmodum videtur ex plurimis, adstat omni viae non bonae nec intelligere vult, ut bene agat[5], acsi vincibilis ignorantia non sit digna supplicio. Miser interpellator et advocatus reorum sese cunctifariam ingerente factus est.

II. Duo namque sunt oratorum seu advocatorum genera, quorum unius typum gessit pharisaeus et alterius similitudinem publicanus. Duo siquidem tribunalia sunt, terrenum scilicet et caeleste, et utrobique iudex et coram iudice contra reos intensio. Quoniam vero non omnibus reis est dicendi concessa peritia, fit ab eis plerumque per oratores et advocatos intensionis depulsio. Sed ante caelestem iudicem inefficax, si non absque supercilio pharisaei deprecationis recte quidem et nude causam rei, sicut illi bene contigit publicano, teneat constitutio. Quod non intuens pharisaeus iuxta morem iudicialis causam generis proloquentis in foro sese maiestati deitatis, *in cuius conspectu non iustificabitur omnis vivens*[6], extollenter, pompose quidem et tumide iustificavit. Comminiscantur ergo, quicumque sacerdotalis officii gradu funguntur, se ipsos et in humilitate publicani quidem advocatos esse

[1] Psalm. 143, 8. [2] Psalm. 49, 18. [3] Isai. 1, 23. [4] Joh. 21, 15.
[5] Psalm. 35, 4. [6] Psalm. 142, 2.

constitutos et oratores, qui pro plebis et suis erratibus interpellantes Deo loquantur. Orans enim Deo loquitur, ut et legenti loquitur Deus et in scripturis et linguis suam reserat voluntatem. Ignorant agere causas suas simplices et indocti. Docti etiam, quorum mens et animus ad infinita multipliciter in actionis operosa vita dividitur, frequenter impossibiliter possunt. Ideoque per oblationum salaria sacerdotes sibi constituunt advocatos, qui caelorum dissuadeant pio regi suum persequi nutantis et fragilis ac fluidae materiae plasma pariterque suadeant ad se revocare dignanter humanam divini caragmatis creaturam. Tenetur apud ethicos forensis advocatus ad poenam, si clientis accepto pretio proloquendi, quod ei pactus est, defraudat officium. Utquid ergo non similiter ecclesiasticus advocatus iure det poenam, qui populi receptis muneribus constitutam et condictam patrocinationis operam sponte subtrahit aut neglectu? Caeterum, quia dux est dominici gregis et custos, prohibere illum habet a praecipitio et in itinera tuta saltim commonitione dirigere. Si tamen male conscius, fit *canis* edentulus *mutus*[1] et canis elinguis. Audire forte metuit: *In quo alterum iudicas, teipsum condemnas*[2]. *Hypocrita, eice primum trabem de oculo tuo*[3]. *Medice, cura te ipsum*[4].

Erat in quadam parochiali ecclesia gallicani climatis presbyter in carne una manifeste cohabitans peccatrici. Qui, cum in missa paschali plebem ad perceptionem eucharistiae commoneret, docuit a mensa dominica fornicariis abstinendum. Cui protinus quaedam mulier enthymemate rhetoris ita conclusit: Quis ergo nobis hodie cantaturus est missam? Ilico sacerdos ad hanc vocem mulieris ommutuit, cuius eum redargutio, ne ulterius posset vel mutire, coercuit et ex illius ore fornicationis eundem toto coram populo sugillavit perpensive denuntians anathema.

Praesumpsit tamen mulier et ore temerario, quamquam prudentem fecit illationem. Turpe siquidem et illicitum esse dicit apostolus mulierem loqui in ecclesia[5]. Scriptum quoque est: *Diis* populi *non detrahes!*[6] *Seniorem ne increpaveris!*[7] Quod certe nec viris expedit, nisi cum seniorum culpa suo exemplo trahit ad interitum corda iuniorum. Habent intercedere sacerdotes, habent et instruere. Populus autem audire habet et factis audita perficere. Quaecumque, inquit, dixerint vobis, servate et facite, servanda videlicet et facienda. Non enim de non servandis posset hoc ullatenus accipi. Sic quoque dicendum videtur: Quaecumque liganda ligaveritis et quaecumque solvenda solveritis, ligata erunt et soluta.

III. Dicit aliquis: De facili crederem et sine detrectatione complerem, quod episcopi vel presbyteri dicunt, siquidem et ipsi facerent, quod hortantur. Sequerer, si praeirent. Dicunt et non faciunt. Et utinam,

[1] Isai. 56, 10. [2] Rom. 2, 1. [3] Luc. 6, 42. [4] Luc. 4, 23.
[5] 1. Cor. 14, 35. [6] Exod. 22, 28. [7] 1. Tim. 5, 1.

inquam, dicerent. Speculum namque subditorum sunt et communis lingua populi, per quam et dormientes et infantes, muti quoque locuntur et mortui. Sed aruit aliquantorum lingua pontificum, non dico in requirendo et perquirendo sua vel extorquendo aliena, sed quia nec pro plebibus orant nec erudiunt populos et clerum docenda non docent. Frons igitur impudentiae, non pudoris, vel potius ironia poterit effari pro talibus: *Bovem triturantem non infrenabis*[1]. Quo canone cathedraticum sibi vendicabit episcopus, qui non instruit illos, a quibus cathe-
54 draticum exigit? Est namque | debitae pastoralis vigilantiae secundum canonum instituta singulis annis semel considerando et docendo suam peragrare diocesim et bis aut semel in anni circulo celebrare synodum et dominicas oves alere scholae pontificalis et doctrinae christianae spiritualibus alimentis. Unde et pastori talia ministranti licet ab eis, quos spiritualiter reficit, mutuam sibi refectionem tunc exigere pabuli corporalis. Alioquin metet, si seminare neglexerit? Qui non laborat, non manducet[2]. Cathedra sedes instructoria est et doctrinae. Cathedraticum videtur esse debitum doctrinae stipendium. Rationabiliter itaque poscitur et non iniuste, dum subtrahitur ipsa, cui soli deberi cogitatur, instructio? Serenti autem semen verbi divini, quia *dignus est operarius cibo suo*[3], panis ad manducandum praestetur, assensus accommodetur dictis et agendorum exhibitio salubribus pareat documentis. Faciendum est, quod dixerit, fugiendum vero, quod illicite fecerit. Ambo simul estis in arduae cacumine rupis. Ammonet te ruinae cavere periculum utque persistas incolumis, a statione declinare formidinis et locum insidere tutiorem. Ipse tamen et scienter et sponte sese iactat in praeceps. Quid? Aestimo, non praecipitium deliges, sed cautelam; inniteris consilio, non imitaberis factum. Quocirca, si te conscio tibi suadeat vias arripere terrae viventium, licet ipse de terra morientium exire noluerit, acquiesce. — Acquiescerem, inquis, libenter eius verisimili disciplinae, dummodo non impudenter semetipsum ad quaestus histrionibus conformaret. Pretiosum namque militis indumentum vilipendit et vilificat histrio, ut sic illud miles abiciat et quasi dapsile in usum transferat histrionis. Ad hunc modum pecuniam alterius detestatur subaurati fraudulentia sacerdotis et falsae religionis astutia, quatinus ille, qui pecuniam possidet, ei tribuat et ita remaneat vacuus et arca presbyteri nauseat nummos et gazofylacium hypocritae munerum superfluitates eructet. Ducatus et magisterium populi presbyteris est concessum, mihi autem et locus et forma discipuli. Discere licet et expedit. Discam ab eis facta, non recipiam dicta. Imitabor facientes et cavebo sermocinantes. In imitatione quippe facti locupletor, in observantia sermonis aporior. Reddunt facta felicem, sermonis executio

[1] 1. Cor. 9, 9. [2] 2. Thess. 3, 10. [3] Matth. 10, 10.

miserum facit et stultum videri. Hanc magistri mei, lux utique mundi, potius eligerent, siquidem factis esse cernerent potiorem.

IV. Huius igitur ita dicentis infirmitati ratio pie succurrat et malagma providae curationis adhibeat, ostendens scilicet aliam esse causam ignorantiae, aliam vero prudentiae. Si quis enim adeo rudis esset, ut inter viam aequitatis et iniquitatis invium dividere penitus ignoraret et ita partem sumeret deteriorem, excusaret forsan ignorantia, quem scientiae luce privasset. Te vero, qui probas omnia, qui diiudicare non nescis, qui percipis probabili ratione contraria nec erras imprudens, nihil excusat, sed accusat te propriae concupiscentiae penitus retundenda praesumptio, qua tuam sententiam rationabili atque divinae praeponis, ut ab eis possideri plus velis quam possidere possessa et servire potius quam divitiarum dominari servitiis.

V. Arguis ipse quidem et insimul ego tecum et nobiscum pariter arguunt universi populum Hebraeorum, quia contra decretum deitatis ultra sufficientiam Gomor in deserto manna filius diffidentiae factus arripuit, tamquam deficere posset horreum caelestis patris et per effusionem iam exhibitae largitatis illius possent exinaniri divitiae. Si recte iudicas, ipsi populus ille sumus filii desperationis et diffidentiae, qui per desertum huius saeculi gradientes ultra sufficientiae modum ad exuberantiam prohibitam anhelamus, quasi formidantes evacuationem atque defectum thesaurorum omnipotentiae Dei, qui per tot retro curricula saeculorum dives extitit omnibus invocantibus eum tam praeditis ratione, quam ratione carentibus. Catulis leonum hactenus elargitur escam, pullis corvorum exhibet alimenta, homines et iumenta multiplicatione misericordiae suae pascit, rosas et lilia gloriosissime vestit, terram sitientem inebriat. Fecundat mare piscibus, arbores modo fructu carentes postmodo facit opimas. Educit panem de terra, de palmitibus vinum, de ligni surculis oleum et omnem commoditatem suo tempore novellando servituti hominum sumministrat. Quisquis ergo de Deo male loquitur dicens: *numquid panem poterit dare?*[1] potentiae derogat Dei Patris, quemadmodum et sapientiae detrahit Filii, qui dixerit: oblitus est Deus et non videbit Dominus. Sin finetenus sic utrumque blasphemat, in Spiritum Sanctum peccat et, quia non dimidiat dies suos et non poenitet in saeculo isto, inefficaciter et frustra poenitebit in alio. Audiat hoc filius diffidentiae, tremat vias eius filius concupiscentiae. Non licitae concupiscentiae dico, qua transiens ad haustum sapientiae contra carnem spiritus concupiscit et iustificationes Dei desiderat, sed eius, quae per extensionem sui communi privilegiatur in nomine, quae scilicet contra legis et rationis inhibitum perperam concupiscit.

[1] Psalm. 77, 20.

VI. Huius, ut est videri, concupiscentiae meta est proprii desiderii ex intentione satietas, ut nec priorem Caesar inveniat nec Pompeius aequalem, non syntomata sanativus nec felicior disciplinam, non potitus voto contrarium, summam libertatem nactus nihil in posterum sentiat servitutis. Habet autem ad haec capessendum super numerum vias repentisque sagacitatis itinera. Sunt autem, ut ex infinitis fine dicatur exempli, simulatio, dissimulatio, dolus omnisque fallacia, veneficium, parricidium, stuprum, violentia, blasphemia et, quod inter homicidia non plus laudo, olei venditrix adulatio, cuius hi, qui sunt in domibus regum et primorum terrae, mollibus foliis vestiuntur. Spiritualium quoque venalitas, negotiatio columbarum, mercatura carismatum, emptio et venditio donorum Dei non est in praefatis itineribus minimum.

Tituli Tertiae Partis.

| I. Quae specifice dicat ecclesia dona Dei.
II. Oblationes et distrahi nequeunt et non impie distrahuntur.
III. A quo gratis acceperit, qui damnabiliter emit.
IV. Decima pie venditur et decima licite vendi nequit.
V. Quid per decimam, et dissonant concupiscentiae voluntas et vultus.
VI. De stimulis cupidorum.
VII. De cupidorum libertate servili.
VIII. Libertatum gradiva pluralitas et suae conscia servitutis.
IX. Verae notio libertatis.

I. Quod autem dicimus, donorum Dei non modicam forte neque transeunter aspiciendam generat quaestionem. Etenim, cum sit Domini terra et plenitudo eius[1] et nihil habemus, quod non sit ab altissimo gratuita nobis donatione collatum, videbuntur et indumentorum et pecorum omniumque de more venalium tamquam simoniacae haereseos execranda commercia. Ait namque Simoni mago beatus apostolus Petrus: *Pecunia tua tecum sit in perditione, qui existimasti dona Dei posse pecunia comparari*[2].

Ad quod dicendum, quia usu contrahente naturam divinorum munerum alia naturae dona dicuntur, ut quae naturaliter sumus et quibus; alia dicuntur hominis, ut quae moraliter in usum solent tribui corporalem; alia vero dona Dei specialiter nominantur, qualia sunt, unde sacerdotes dii dicuntur. Ea quidem esse videntur innocens ac fidelis et sancta conversatio, officium evangelizandi et baptizandi, potestas peccata remittendi, ligandi, solvendi, claudendi caelorum portas et aperiendi, conficiendi eucharistiam et sanctum chrisma, largitio ec-

---

[1] Psalm. 23, 1. [2] Act. 8, 20.

clesiasticarum dignitatum et ordinum, dedicatio basilicarum et altaris erectio, benedictio monialium, reconciliatio poenitentium, virtus miraculorum et sufficiens diligentia pastoralis. Haec omnia Christus donavit apostolis et in apostolis aliis sacerdotibus, hinc utique, sicut aestimo, diis et principantibus omni terrae. Voluit autem, et, quod vellet eos in his exequendis orare maiestatem paternitatis aeternae, satis, dum eandem ipsemet oraret, ostendit; alias autem et verbis idem expressit. Quidquid, ait, Patrem petieritis in oratione non haesitando credentes, accipietis[1]. Et propterea dicit apostolus: *Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum*[2]. At vero, quoniam absque necessariorum subsidiis neque gratiarum actio neque oratio esse poterat absoluta animi divisi curis impedimenta praestantibus, constituit Dominus, ut discipulis suis eorumque vicariis temporalia subsidia conferrentur. Haec ergo tamquam deifica dona Dei specialiter nominata videntur. Ipsa tamen necessaria cum istis in eodem nomine complicantur, quoniam specialiter ad usum et expedimentum orationis, sine qua dona Dei, quae praediximus, non contingunt, data sunt a fidelibus populis ministris ecclesiarum. Quare, quisquis in hunc usum eidem usui concessa necessaria comparat, etiam et praefata dona Dei decretali sententia patrum convincitur comparare, quandoquidem sine illis haec amministrari non possunt. Horum unum, potestatem scilicet patrandi miracula, comparare voluit Simon magus. Beatus vero Petrus apostolus hoc et illa pariter omnia comprehendens respondit non posse dona Dei pecunia comparari. Simonia tamen penes infaustos, quibus est spiritualium grata venalitas, est famosa peccatrix, quam, ut horrere putetur, impudicus eius amator et in publico detestatur semper et saepe damnat ad verba. Gaudet tamen obscenis illi iugari contactibus, quotienscumque furtivis ingeniis clandestina sese praebet occasio vel manifeste furentibus paralogistica species nuptialis[3].

11. Videtur autem in oblationibus subsidiorum ea servanda distinctio, quia cum sint non nisi gratis acceptae, unde nec debent nisi gratis quoque conferri, tamen sicut, antequam ad ecclesias devolvantur, sunt natura, sic et postea fiunt providentissima ratione venales. Oblationum vocabulo praebendas et praebendarum debitas partes intelligimus, id

[1] Marc. 11, 24. [2] Coloss. 3, 17.

[3] Cf. Laborantis Cardinalis *Compilationem Decretorum* (Cod. C 110 fol. 63): „De hac [simonia] in libello, quem *De vera libertate* composui, sic invenitur: *Simonia penes infaustos, quibus est spiritualium grata venalitas, est famosa peccatrix, quam, ut horrere putetur, impudicus eius amator et in publico detestatur semper et sepe damnat ad verba. Gaudet tamen obscenis illi iugari contactibus, quotienscumque furtivis ingeniis clandestina sese prebet occasio vel manifeste furentibus paralogistica species nuptialis.*

est quaecumque ministris altaris et templi in subsidium et substentaculum dantur orationis et dominicae laudis. Ad hoc enim et domus et praedia ceteraeque oblationes ecclesiis concessae sunt, ut orationi contra necessitatis instantiam suffragentur, ne per infrenationem bovis oratoris animus sit divisus. Quoniam ergo non nisi gratis ad perpetuam libertatem orationis dantur ecclesiis, congruum satis esse videtur et aequum, ut ecclesia seu ecclesiastica persona, quae totius vicem gerit ecclesiae, non nisi gratis et absque emolumenti subsolaris intuitu ad expedimentum haec ipsa tribuat orationis. Crudele namque videtur et nimis impium pontem gratuitatis et misericordiae, per quem absque venalitate transivit, quemquam subvertere, ne per ipsum alius nisi venaliter transeat. Incivile rursus est sanctorumque patrum statutis et aequitati naturae vehementer adversum, ut, quae sancta cuiuscumque largitio constituit in perpetuum valitura, pravitas infandae mercaturae commutet. Unde non inevidens est beneficia subsidiorum nequaquam posse comparari pecunia. Non enim debent orationis officio vendi, quaecumque sunt eidem perpeti et incommutabili dono concessa.

III. At vero, cum sit fur et latro, qui per Simonem vel irrepsit vel irrupit, ait secum: Gratis accipientibus et non mihi, qui non gratis accepi, pertinet spiritualia dare gratis. Cui dicendum: Insipiens et infelix, audi et, quod legis, miserorum miser intellige. Nam etsi tu damnabiliter comparasti, gratis tamen accepisti, sed ab illo, qui primum gratis ea dedit et in perpetuum gratis esse danda constituit.

IV. Aliquo tamen casu sine culpa venundari vel alienari possunt omnes oblationes ecclesiae, ut ad redemptionem captivorum aut alia concessa provisione canonibus. Sed, cum dicantur praebendae quasi non vendendae, sed tribuendae liberaliter et sine muneris intuitu
255 largiendae, siquidem ad orationis opem, non in eo, quod praebendae | sunt, emi umquam licite possunt aut vendi, sed in eo, quod sunt possessiones natura vendibiles et canonica dispensatione vendendae. Sic itaque decima vendi non illicite posse videtur et ab ecclesiae iure transferri, quamvis eam donari tantummodo liceat in usum orationis et nequaquam valeat nisi sortis esse leviticae. Decimae siquidem appellatione pars decima rei decimabilis accipienda videtur, ius etiam principale decimam in usum percipiendi, rursus autem et ipsius iuris auctoritas omnisque boni perfectio. Soli Deo est decimandum, id est perfectio bonorum et praefati iuris auctoritas adscribenda. Percipiendi vero vel utendi principalitas non competit nisi ministris ecclesiae. Est enim et secundarium percipiendi ius vel utendi, quod ex arbitrio pontificis et ministrorum, dum supersunt, aliis competere potest. Non enim arguitur clerus, si donet aut vendat annonam, quam sumpsit vel est sumpturus in decimam, aut si quidlibet decimaliter sumptum, prout illi expedit, alienet. Sicut ergo iuris auctoritas ac boni perfectio nequit auferri Deo, ita nec

principale percipiendi ius vel utendi potest ab ecclesiis eiusque ministris alienari. Res autem ipsa, cui proprie nomen est decima, potest. Ius vero secundarium ex iure principali trahit originem, semper eo nititur et irreprehensibiliter esse laici potest etiam infidelis. Sed non in perpetuum, nisi cum providentia canonica possessiones alienat ecclesiae. Similiter autem et nomine primitiarum pars primitus ad utendum sumpta cogitatur accipienda, principale quoque ius utendi primitivis, iuris etiam auctoritas et omnis inchoatio boni.

V. Quod vero bonorum consummatio per decimam et per primitivam figuretur initium[1], sit inde videri, quia nec eorum media nec ultra decimam lex Domini iubet offerri. Quia namque progressio numeri naturalis in denario, non citra, non ultra, perficitur — nam citerior imperfecta est et ulterior repetita —, congrue non alterius res numeri nisi huius offerri mandatur et ea, quae prius in usum sumitur. Quippe *sufficientia nostra ex Deo est*[2] et est ex ipso, quod datur; nam *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum*[3]. Unde et psalterium a superiori resonat, ut, quidquid in quolibet opere bene delectat, patri luminum referatur. Non principi tenebrarum, non humanitatis arbitrio, non artibus concupiscentiae, quae sedulis curarum stimulis hominem affligendo permodicum certe vel nihil ei iocunditatis quietisve concedit. Et quidem in vultu fingit gaudium, sed figit in corde maerorem. Hilarescit in verbis, in meditatione tristatur. Est facto munifica, proposito feneratrix; benigna specietenus, sed ut possit efficacius malignari. Molliti sunt huiusmodi phantasiae seu monstri sermones super oleum et *ipsi sunt iacula*[4]. Uva cupiditatis est uva fellis et botrus amarissima[5] et sunt omnia consilia eius in malum. Primum bonum vinum ponit, subinde vero fel draconum et venenum aspidum[6]. A veritate incipit, ut falsa confingat nec, nisi sit illud vulgi fallacia, verum dicit nisi cogitando mentiri.

VI. Quamvis igitur ad summae libertatis arcem cupidus enititur pervenire, tamen eius in profectione conditio servilis est et fit in perventione servilior. Spes etenim per antedictas astutias innumeris eum vinculorum doloriferis nexibus stringit et, ubi spei promissa iam obtinet, iacula timoris eundem irremissa vexatione transverberant. Veretur nempe continuo, ne, quae serviliter est adeptus, sibi miserabiliter adimantur, et, quod infelicius est, absque relaxatione formidat, ne sibi spiritus latentibus surripiatur astutiis vel auferatur extorsionibus manifestis. Quid enim simultatis et sceleris in Absalon regis David filio et in filiis Sennacherib coniectet ille, qui pater est? Quid in rege Mithridate vel Herode, qui filius? Quid in Herifili vel Clytemnestra

[1] Cf. de hoc A. Landgraf, *Die Erkenntnis der helfenden Gnade in der Frühscholastik* 209. [2] 2. Cor. 3, 5. [3] Jac. 1, 17. [4] Psalm. 54, 22. [5] Deut. 32, 32. [6] Deut. 32, 33.

maritus? Quid in Cain utique fratricida germanus? Quid in Pompeio socer? Quid in Herculeo Maximiano, qui gener est? Qui autem Scariothen illum recolit Iudam, formidolosa est ei familia. Qui vero foedifragae sodalitatis exempla, meticulosa illi sunt varia cuiuscumque societatis ingenia. Non in die sopitur, non in nocte quiescit et letalibus semper angustiis coartatur et suffocatur exundique.

VII. Heu heu, quam servilis ac dira libertas, quae tot tantisque servitutis aerumnis illum, quem inaltat, examinat assiduisque sollicitudinum spinis excruciat, calamitatum perurit incendiis et in sartagine saepenumero sceleratae conscientiae frigit.

VIII. At vero dicis: Imaginariae partem libertatis, ad quam cupiditas inhiat, vel ipsam potius, ut aestimo, cupiditatem sub illius nomine depressisti; partem vero, quam constat animalium quoque vel arborum esse naturae gratissimam, nequaquam ut odibilem praenotasti. At vero formam, quae primigenis exhibito super omnem terram humanitatis est adiuncta dominio, in nonnullis hominum adhuc sua iura servantem et generosiorem speciem philosophiae notam, forte quia contemplationis et internae lucis gratia sit illi, quam gloriae deputas, nanciscendae libertati principium, quibusdam praeconiis extulisti, verum libertatem ipsam gloriae praetulisti. Sed numquid philosophicis addicti gymnasiis aut etiam spirituales ipsi, quorum vitae moralitas insons, recta fides et opera iusta sunt, dum in corpore peregrinantur a Domino[1] membrorumque legibus in carnis ergastulo captivantur, veram perfectamque possident libertatem? Diceretne doctor egregius, cuius erat iam in caelesti patria conversatio: *Video legem in membris meis captivantem me in lege peccati?*[2] Et adiecit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*[3] Non, inquam, perfectam et tamen perficiendam. Tacitis namque periculis, quorum infinitate numeris aliena singuli mortalium ventilantur et ventilabro fatigantur, saltim voluntati contrariorum motuum vernaculum et intestinum malum, quo, sicut veraciter ais, anxiabatur apostolus, perpetiuntur omnes et alternis passionum influxibus perferunt naturae dispendia. Quare non est in carne corrupti-
5v bili veritas ac plenitudo libertatis aut gloriae. Nam, | quaelibet in mortalibus illa sit, non vere pleniterque libertas est, sed verae libertatis ut imago quaedam vel potius umbra. Usurpat nomen libertatis et veritatem continet servitutis. Siquidem et ipsa religionis officia non absque labore servitutis et agonia tractantur. Unde Romanus antistes, quamquam illis praeminet cunctis, servorum tamen Dei servum in propriis se litteris profitetur. Est quippe dignitate maior, sed officio minor. Etenim ministro maior est, qui recumbit.

IX. Quaeris ergo: quando veritas libertatis adveniet? Veritas, inquam, libertatis et gloriae inchoatione iam venit, progressu manet, sed

[1] 2. Cor. 5, 6. [3] Rom. 7, 23. [2] Rom. 7, 24.

est perfectione ventura. Sed his, dico, venit ac veniet, quibus non dominatur cupiditas, sed est regina modestia. Veniet autem, quando fiet utique sermo, qui scriptus est: *Absorpta est mors in victoria*[1]. Quando scilicet non supererit benedictis *neque luctus neque clamor neque prorsus ulla molestia*[2]. Erit itaque vera libertas, ut sit eam huiusce figuratione termini diffiniri, post liberationem ab omni malo perennis ab omni corruptione securitas. Huius verae supereminentiam libertatis institutionibus dominicis eruditi deposcimus in veri liberatoris oratione dicentes: *libera nos a malo*[3]. Non enim intelligimus ab uno tantum, sed a malo simpliciter omni liberari petimus et ut exinde vivamus interminabiliter liberi.

Explicit ad Hugonem.

[1] 1. Cor. 15, 54. [2] Apoc. 21, 4. [3] Matth. 6, 13.

SECTAE SABELLIANORUM.

Laborans Dei gratia presbyter cardinalis Sanctae Mariae Transtiberim tituli Calixti Hermanno theologicae veritatis amico sincerae caritatis affectum.

De Sabellianis, quorum super numerum multitudo latinitati velut urtica succrevit et cotidie supercrescit, fit haec succincta divisio. Sabellianorum alii veri nominis, alii quasi veri. Hi omnes et conveniunt iuxta aliquid et iuxta aliquid differunt. Omnes enim in uno eodemque singulari Trinitatem relatione multiplicant. Sed ex eis alii relationes ipsas attendunt secundum actus, alii secundum tempora, alii secundum partes et bipartite, alii secundum modos. Activi namque nomen Pater est, quia generativi, sic et Filius, quia nascitivi, sic et Spiritus Sanctus, quoniam ab utroque processivi. Pater enim generat, Filius nascitur, Spiritus Sanctus ab utroque procedit. Vesaniunt ergo multum, qui actus in uno singulari coniungunt; plus, qui tempora dividunt; plurimum, qui partes effingunt; et, qui modos, omnino delirant. Horum primi veri nominis Sabelliani sunt, reliqui duo quasi.

Dixit haeresiarcha Sabellius: Fidei nostrae professio hunc eundemque Patrem et Filium praedicat Deum. Hoc idem sapuerunt omnes et sapiunt, qui supersunt. Nam, qui tempora diviserunt dicentes: idem, quando vult, Pater est, quando vult, Filius est, quando vult, Spiritus Sanctus est, expirasse videntur. Qui vero partium stigmata figurarunt, iam in una sui specie siluerunt et adhuc in una spirare dicuntur. Quidam nempe eorum famosus, ut dicitur, suo tempore doctor in Gallia factus archipraesul in Anglia triformem pinxit in camera sua chimaeram, tres scilicet homines ab umbilico supra et unum ab umbilico infra. Is in hunc modum unam substantiam tres docuit esse personas. Et secuti sunt eum multi. Sed iam ex his nemo comparet.

Alterius vero speciei nonnulli superesse feruntur in provincia Palaestinae in digito manus suam ineptiam figurantes. Dicunt, enim, quia sicut unus digitus tres est suae veraciter portiones et sicut prima prope volam non ex aliis emanat, sed ex ea secunda et ex ambabus ultima, sic una divinitas tres est in veritate personae. Et eapropter uno digito se in frontibus signant. Est etenim a nullo Pater, sed ex eo Filius et ex eis Spiritus Sanctus.

Et, qui modos opinantur, omnino delirant. Eorum vero fuit auctor quidam et rursus in Gallia, cuius extitit perniciosa subtilitas. Is enim per dialecticam et grammaticam atque mechanicam suum roboravit errorem. Ait enim: in grammatica unus idemque, ut Cicero, est persona prima et secunda et tertia ex alio atque alio. In dialectica eadem numero differentia, ut rationale, est divisiva et constitutiva. In arte mechanica idem numero subiectum est aes et sigillum atque sigillans[1]. Et hic quidem subtiliter, sed inaniter ambulavit in magnis et ad multorum perniciem in mirabilibus super se.

Explicit.

---

[1] Sic ergo doctrina Abaelardi Sabellianismi censura notatur. Conferatur Abaelardus, *Expositio in epistolam Pauli ad Romanos* lib. I. c. 1 (PL 178, 804); Idem, *Theologia* lib. 2 c. 13 (PL 178, 1068); *Epitome* c. 12 (PL 178, 1715); *Sententiae Florianenses* (Editio H. Ostlender 5, 7); *Commentarius in ep. ad Romanos* Cod. Paris. Arsenal. lat. 1116 (fol. 81); Rolandus Bandinelli (F. Gietl, *Die Sentenzen Rolands* 28).

PERSONAE PRAEDICATIO RELATIVA EST.

Laborans Dei gratia presbyter cardinalis Sanctae Mariae Transtiberim tituli Calixti Rispaldo theologici sinus alumno salutes et quod sequitur.

Eorum, quae de Deo praedicantur, aliud est substantia, ut divinitas; aliud relatio, ut paternitas, creatio et dominium; aliud nihil horum, ut Trinitas et propria personae cuiuslibet, si qua forte sit, unitas, et ratio, qua esse persona in Trinitate trium quilibet dicitur. Amplius autem actio, vigilatio, dormitio et his similia. Rursus eorumdem aliud praedicatur substantialiter et est substantia, ut divinitas et quidquid est ei synonymum; aliud substantialiter et non est substantia, ut creatio, dominium, vigilatio, dormitio et quaelibet his addicta, si qua recte dici valeat, unitas. Aliud nec substantialiter nec est substantia, ut paternitas, filiatio et ab utroque processio, Trinitas etiam et sua personae cuiuslibet unitas et unde persona. Horum ergo praedicatio relativa est, non autem quomodolibet. Duobus enim dicitur modis aliquid praedicari relative. Nam proprie relative, id est adconversive, ut paternitas. Item relative, id est in comitantia relationis, ut Trinitas et unitas personalis et unde persona. Proprie relative praedicatur, quod relatio est; non proprie, relative tamen, quod secundum relationem est. Quocirca persona relative praedicatur, quia comes relationis est, nec relative, quia relatio nequaquam est. Unde nec relativam seu adconversivam praedicationem habet, ut habet paternitas et dominium.

Sed legi: *Qui ascendit super occasum, Dominus* est essentialiter *nomen illi*[1]. Unde videtur, quod dominium sit essentia et non relatio. Porro dicitur hoc nomen dominus essentialiter Altissimo convenire, quia dominium non est extrinsecus adveniens Deo munus, sed est ei proprium ex natura. Quippe non est Deus Trinitas ab alio factus dominus,
56 sed per essentiae suae naturam dominus est. | Nam, quod legitur: *Domine, refugium factus es nobis*[2], locutionis est tropicae, quia fecit nos Dominus ad clementiam suam converti et ab indignatione sua fugere sicque fuit nobis refugium et contra furorem suum protector. Ut ergo videtur, hoc nomen dominus essentialiter ei convenit et relative dicitur et substantialiter de eo praedicatur. Et quamquam non, quidquid de

[1] Psalm. 67, 5. [2] Psalm. 89, 1.

Deo praedicatur, substantialiter praedicetur, quidquid tamen de ipso praedicatur et quidquid ei convenit, essentialiter convenit et substantialiter, ut Pater, Filius, etc. Nam substantialis est Patri productio Filii et Filio substantialis est de Patre nativitas. Substantialis, id est aeterna, ut substantia, et in id, quod non nisi substantia est nec nisi suae causa substantiae. Substantialiter ergo praedicari est ut substantiam praedicari, sive sit sive non sit substantia, quod praedicatur, ut creator et dominus.

Secundum Boethium praedicari quid substantialiter est, cum sit substantia, praedicari singulariter et de singulis singillatim et de tribus in summa, ut: Pater est Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus; Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt unus Deus[1]. Quare Trinitas substantialiter non praedicatur neque unitas, qua dicitur unus Pater neque unum persona. Non enim Pater est Trinitas nec hi tres, Pater Filius et Spiritus Sanctus sunt eiusmodi unus, id est unus Pater vel unus Filius etc., nec sunt una persona.

Secundum vero Augustinum in libro VII° de Trinitate capitulo ultimo videtur omnino persona praedicari substantialiter, cum ex eo videatur hoc nomen esse nomen essentiae. Ait enim: „Non est Deo aliud esse et aliud personam esse, sed omnino idem"[2]. Quid ergo? Non intellexit Boethius Augustinum, quem in prologo libri de Trinitate se sectari fatetur?[3] Dicit enim Boethius, ut praemisimus: Quidquid de Deo substantialiter praedicatur, singulariter de ipso dicitur et de trium personarum singulis singillatim et de tribus in summa. Iuxta quod nequaquam persona substantialiter praedicatur, quippe non de tribus in summa. Non enim illi tres esse una persona vere dicuntur. Quapropter non idem est Deo esse et personam esse. Quid igitur ad hec dicendum?

Fortasse dicetur, quod Augustinus a se retractanda non omnino retractavit. Illud quoque forte dicetur, quod Hieronymus scribit ad

6 Substantialis — causa substantiae *P in marg.*

[1] Boethius, *Utrum Pater et Filius ac Spiritus Sanctus de Divinitate substantialiter praedicentur liber ad Ioannem diaconum Ecclesiae Romanae* (PL 64, 1301): „Quaecumque igitur de divina substantia praedicantur, ex tribus oportet esse communia; idque signi erit, quae sint, quae de divinitatis substantia praedicentur, quod quaecumque hoc modo dicuntur de singulis in unum collectis, de tribus singulariter praedicabuntur. Hoc modo, si dicimus: Pater Deus est, Filius Deus est, Spiritus Sanctus Deus est, Pater, Filius ac Spiritus Sanctus unus Deus est."

[2] Augustinus, *De Trinitate* lib. 7 c. 6 (PL 42, 943): „Non enim aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem."

[3] Boethius, *Quomodo Trinitas unus Deus ac non tres dii* (PL 64, 1249): „Vobis tamen etiam illud inspiciendum est, an ex beati Augustini scriptis semina rationum aliquos in nos venientia fructus extulerint."

Laetam de institutione filiae dicens: In libris Cypriani, Athanasii et Hilarii pietas fidei non vacillat, ceteros autem ita legat, ut magis iudicet quam sequatur[1].

Sed, ne Augustinus in hoc reprobandus esse putetur, existimatur esse dicendum, ut, quod ait: non est aliud et aliud, sed idem, sit quasi dixerit: non aliter Deus ipse est et aliter idem ipse persona est, sed prorsus itidem. Quod est: utrumque per se est et neutrum relative. Non enim tres aeternitatis illae personae ad se invicem relative dicuntur, sicut tres homines ad se invicem amici vel inimici dicuntur. Quilibet enim trium amicorum utriusque duorum aliorum amicus est. Pater vero aliarum duarum personarum persona non est. Non enim est Pater persona Filii neque est persona Spiritus Sancti. Item Filius non est persona Patris etc.

Ergo Deus non est neque dicitur esse persona relative id est adconversive, sed per se dicitur esse persona, sicut et per se dicitur esse Deus et dicitur esse. Relative tamen dicitur esse persona, id est secundum relationem, quemadmodum, sicut ait Boethius[2], Trinitas. Pater enim secundum paternitatem persona est, Filius secundum filiationem persona est, Spiritus Sanctus secundum ab utroque processionem persona est. Quaelibet harum trium relationum horum trium solius unius per se divisimque et sola est ac per hoc Trinitas una persona non est, potius vero tres attentis relationibus personalibus et rationibus, unde personae.

Qualem autem superius ex Augustino loquendi modum posuimus, talem et Boethius in libro de Trinitate quaestionis primae servavit inquiens: Catholicis vero nihil in differentia constituentibus ipsamque formam, ut est, esse ponentibus neque aliud esse quam est ipsum, quod est, opinantibus[3]. Nam aliud, id est aliter. Simpliciter enim et non multipliciter Deus est. Similiter etforma Dei. Apud Porphyrium[4] vero differentiarum aliud est divisivum, aliud est constitutivum, aliud,

[1] Hieronymus, *Epistola 107 ad Laetam de institutione filiae* (J. Hilberg, Sancti Eusebii Hieronymi epistolae. Pars II [Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum 55] [Wien, Leipzig 1912] 303): Cypriani opuscula semper in manu teneat, Athanasii epistulas et Hilarii libros inoffenso decurrat pede. Illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei non vacillet; ceteros sic legat, ut magis iudicet quam sequatur.

[2] Boethius, *Quomodo Trinitas unus Deus ac non tres dii* c. 5 (PL 64, 1253).

[3] Boethius, *l. c.*, c. 3 (PL 64, 1251): Catholicis vero in differentia constituentibus ipsamque formam, ut est esse ponentibus neque aliud esse, quamquam est ipsum, quod est, opinantibus, recte repetitio de eodem quam enumeratio diversi videtur esse, cum dicitur: Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, atque haec Trinitas unus Deus . . .

[4] S. Brandt, *Anicii Manlii Severini Boethii in Isagogen Porphirii Commenta* lib. 4 c. 6 (Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum 48 [Wien-Leipzig 1906] 253 sq.).

id est aliter sumptum. Apud Aristotelem[1] substantia alia est prima, alia secunda, alia, id est attenta aliter. Apud Priscianum[2] persona alia prima etc.; alia, id est aliter unus et idem, ut Cicero, consideratus est persona prima etc. In evangelio quoque dicitur, quia semen aliud cecidit etc.; aliud, id est aliter cecidit in terram bonam[3], quia cum gratia, aliter in aliam, quia sine gratia.

Pater igitur et Filius et amborum Spiritus sunt et unum et unus. Unum sunt et non unus. Sunt unus, unde unum. Sunt et non unus, quia non personaliter unus, cum potius plura vel plures. Genere unum sunt et genere Deus unus. Nam, quod sacrilege Tritheitae et Semiarriani denegant, impartibilis sunt naturae.

Qui vero personarum proprietates esse personas dicunt, propterea dicunt, quia Hieronymum audiunt ita dicentem: Nos non tantum vocabula, sed et proprietates, id est personas, confitemur[4]. Audiant igitur et ecclesiam ita loquentem: Vivunt nomina sanctorum in aeternum. Item: Altare hoc tuo nomini dedicatum. Nonne dicent: nomina sanctorum, id est sancti? Nonne dicent: tuo nomini, id est tibi? Nec tamen nomina sanctorum quis fatebitur esse sanctos neque Dei nomen fatebitur esse Deum.

Explicit.

---

[1] Κατηγορίαι (J. Bekker, *Aristoteles Graece* 1 [Berlin 1831] 2).

[2] M. Hertzius, *Prisciani Institutionum grammaticarum libri 18* (Grammatici latini ex recensione Henrici Keilii. Vol. III Fasc. 1) Vol. II lib. 17 (Leipzig 1859) 149.

[3] Luc. 8, 8.

[4] Citantur haec verba et attribuuntur Hieronymo „in Expositione fidei catholicae ad Alipium et Augustinum episcopos" a Petro Lombardo (1 dist. 25 c. 3 — Quaracchi [1916] 163 n. 226). Non tamen inveniuntur in operibus Hieronymi, nec in *Epistola XVII seu explanatione fidei ad Cyrillum* (PL 30, 182) nec in *epistola XV, ad Damasum Papam* (PL 22, 355) nec in libro Hieronymo per nefas attributo *De essentia divinitatis* (PL 42, 1199).

INDEX NOMINUM ET RERUM.

[1] Neutrum adiectivi *infirme* invenitur etiam in commentario in epistolas Pauli erronee attributo Petro Comestori (Cod. Paris. Nat. lat. 651 fol. 87).

INDEX CODICUM MANUSCRIPTORUM.

INDEX.

Piererische Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co., Altenburg, Thür.